ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Sac. ALOISIUS BARIN
ex Pontif. Accademiae Liturgicae Romanae Censoribus

COMMENTARIUM
AD CANONES CODICIS JURIS CANONICI
JUS LITURGICUM
QUOMODOCUMQUE SPECTANTES

EXTRACTUM EX "EPHEMERIDIBUS LITURGICIS,, - IN PARTEM I LIBRI III C.I.C. COMMENTARIUM COMPLECTENS

DE SACRAMENTIS
ET
DE SACRAMENTALIBUS

Ex Officina Typographica RHODIGII 1922 Industrie Grafiche Italiane

JUS PROPRIETATIS VINDICABITUR

REVERENDISSIMO DOMINO

ANSELMO RIZZI

ADRIENSIUM EPISCOPO

SACERDOTII SUI

XXV ANNIVERSARIUM AGENTI

DEVOTIONIS ERGO

AUCTOR

D. D. D.

PRÖEMIUM

Codex Iuris Canonici, iussu Pii Pp. X digestus et auctoritate Benedicti Pp. XV promulgatus, " *plerumque*, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas *liturgici libri*, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. *Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent*, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur (can. 2) „.

Nondum optatissimus dies advenit " quo, ut ominatur cl. Menghini (*Elem. Iuris Liturgici*, 1907, pag. 123), cunctis absolutus numeris Codex universam complectens divinorum Rituum iurisprudentiam, ab altis fundamentis, affabre perpolitum, ad summum fastigium ducat liturgicum aedificium „. Etiam in praesenti leges liturgicae sparsim continentur in operibus Theologiae dogmaticae et moralis, in Iure Canonico, in rubricis librorum *proprie* liturgicorum, in Collectione Authentica Decretorum S. R. C.

Quamvis nonnulli privati auctores haec sparsa membra colligere sategerint, tamen scientia liturgica semper est, et adhuc, illud vere *mare magnum* in sua plenitudine integra a paucissimis (ne dicam a nullis) exploratum, a tironibus clericis et etiam ab ecclesiasticis dignitate fulgentibus, pietate praeditis, zelo animarum inflammatis, parum bene visum et aegre toleratum, hauriendo de illo tantum id quod quoquo modo eos dirigat in exsequendis sacris.

15995

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Hodie tamen Codex Iuris Canonici non omittit illam partem, quae respicit sacram Liturgiam.

Rubricas Codex *leges* vocat et de earum observantia sollicitus est. Exempli gratia: Can. 336 mandat Episcopis ut "advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum..... „: Can. 415 declarat ad Capitulum Cathedralis aut Collegialis Ecclesiae spectare vigilantiam " ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis *leges liturgicae* observentur „: Can. 447 Vicario foraneo mandat ut invigilet " num decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis.... accurate servetur: an sacrae functiones secundum Liturgiae praescripta celebrentur „.

Codex Iuris Canonici, ut patet, Liturgiam proxime attingit quando de Sacramentis, de locis et temporibus sacris, de cultu divino agit: et id in libro tertio, in partibus prima, secunda et tertia eiusdem libri.

Commentarium in canones Codicis Juris Canonici sacram Liturgiam spectantes quod modo publici juris fit, a romanis " Ephemeridibus Liturgicis „ excerptum est, ut satisfieret voto, quod plurimi nobis notum fecerunt, sub uno conspectu habendi quae tunc dispersa erant per varios illius periodicae publicationis numeros.

Eamdem sequimur materiae dispositionem, ita ut primum agatur de iis quae continentur in libro tertio Codicis Juris Canonici, deinde de canonibus qui quoquo modo sacram Liturgiam attingunt, et hic illic in eodem Codice continentur.

Qualecumque sit nostrum exiguum opus, s. Liturgiae cultoribus ducimus invisum non fore.

PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS

PROLEGOMENA

Can. 731, § 1.

Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est.

Haec verba habenda sunt ut praefatio huius partis : summarium est hic Canon verborum quibus utitur Rituale Romanum (Tit. I, Cap. un.) ad parochos et ceteros ministros sacros convincendos excellentiae proprii ministerii cum ad Sacramentorum administrationem accedunt. En verba Ritualis optimum huius Canonis commentarium : " Ut ea, quae ex antiquis catholicae Ecclesiae institutis, et *sanctorum Canonum*, summorumque Pontificum decretis, de Sacramentorum ritibus ac caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est *diligentia ac religione* custodiantur et ubique fideliter observentur, etc.... Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta *ad humani generis salutem* a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se *sancta tractare*, ab omni fere temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse opor-

tere..... Antequam ad huiusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et caeremonias pro temporis spatio praevidebit, et perleget.... Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba.... attente, distincte et pie, atque clara voce pronuntiabit.... Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut astantes ad caelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat... Omnes autem, qui Sacramenta *suscipiunt*, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant „.

Ex primis verbis declarationis quam e Rituali excerpimus, eruitur Rituale appellare sacros Canones ad propriam observantiam ; e converso, Canones leges a Rituali traditae mandant ut religiose serventur. En

CAN. 733, § 1,

qui Ritualis observantiam claris verbis requirit :

In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et Caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur.

Rituale Romanum, a quo tamen, ut omnes norunt, tantum praescribuntur ritus illorum Sacramentorum quorum administratio ad Parochos pertinet, passum est nonnullas mutationes verborum et caeremoniarum. Cum ex mandato Summi Pontificis tantum editio typica adhibenda sit vel editio quae respondeat typicae, patet et debita observantia exhibenda variationum inductarum, ut *accurate* serventur ritus et caeremoniae.

Can. 734.

§ 1. *Sacra Olea, quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V* in Coena Domini, *proxime superiore: neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat.*

§ 2. *Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia.*

Concordant hae duae paragraphi Canonis cum praescriptionibus antiquis (cap. *Litteris* et *Si quis de alio* de consecr. dist. 3 et 4) et rubricis. Rituale Rom. (Tit. II, cap. 1, n. 31–33) habet: " Sacrum Chrisma et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur.... eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria V in Coena Domini... Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur: ac si deficere videantur, et Chrisma, aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate „.

Idem Rituale (Tit. V, cap. 1, n. 3) statuit: ".... Oleum infirmorum, quod singulis annis Feria V in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat ut sufficere non posse videatur neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minore quantitate superinfuso, reparari potest „.

Doctrina de usu veteris Olei, deficiente novo, in casu necessitatis, sancita erat Decreto S. C. Episc. 20 maii 1590 (apud Gavantum, *Man. Ep.*): doctrina vero de addendo oleo olivarum communi si Oleum benedictum videatur non sufficere iam tradita erat ab antiquo iure (cap.

Quod in dubiis de cons. dist. 3). Novus Codex, clarior rubricis, etiam dubium resolvit an liceat saepius iterare additionem. Norma quam tradit consonat cum Decr. S. Officii die 23 septembris 1682, quo oratori Hispalensi Archiepiscopo, de theologorum contradictionibus anxio, significaverat materiam adhuc validam Oleum benedictum, etiamsi pluries adiiceretur aliud oleum non benedictum, ita ut pars adiecta postremo maior sit parte consecrata, dummodo unaquaque vice pars adiecta minor sit parte asservata. Notandum est Archiepiscopum Hispalensem decretum hoc obtinuisse pro quiete universarum ecclesiarum amplissimae dioecesis, cum ipse impar esset consecrandi oleum iisdem sufficiens (Cfr. FERRARIS, Biblioth. voc. *Extr. Unct.*); unde colligendum, sine vera necessitate (S. R. C., d. 2883 ad 3), id non licere.

CAN. 735.

Parochus Olea sacra a suo Ordinario petere debet et in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare: nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia.

De petitione sacrorum Oleorum nihil habent rubricae. Rubrica Ritualis (Tit. II, cap. 1, n. 32) tantum monet: "Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat„. Baruffaldus (Ad Rit. Rom. Comment.) ad hanc rubricam notat: "In dioecesi multae vastitatis debet Parochus fidam personam adinvenire, quae a loco consecrationis expedite Olea deferat ad suam Ecclesiam... Quare omni sedulitate curabit, nec expensis parcet, pro hac felici Oleorum translatione. Expensae vero, quae in tali casu occurrerent, ad Parochum pertinent, scil. pro cibaria et viatico clerici

seu Sacerdotis illius (talem enim decet esse translatorem) qui Olea portabit: quae expensae dividi poterunt pro virili inter Parochos, quibus Olea distribuuntur, cum beneficium hoc sit commune „. Rituale *(ib.* n. 38) monet: "Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum haec Olea deferantur „, et optimam invenio adnotationem eiusdem Baruffaldi: " Hoc praeceptum renovatum fuit de recenti per diversas Constitutiones Synodales nonnullarum Ecclesiarum, quia illarum Episcopi adverterunt magnum scandalum oriri a traditione sacrorum Oleorum facta personis laicis plerumque rusticis, et nullius conditionis, ad ea asportanda de loco ubi dispensantur ad Ecclesias parochiales. Quare quaerendum est hic, an per verba illa: *alium Ecclesiae ministrum* possit intelligi campanarius Ecclesiae. Et respondeo: Si campanarius est clericus, ut mos est in Cathedralibus... possunt Olea... illi tradi: si vero non sit clericus, sed omnino laicus et vilis, ut esse solent campanarii Ecclesiarum ruralium, tunc Olea huiusmodi non sunt illi tradenda. In hoc casu Parochi advertant commodiorem modum, ubi penuria adest ministrorum, et manus sibi invicem porrigant, caritate ducti, non turpis lucri gratia „.

Codex tamen non ita rigidus est: tantum mandat Parocho ut a suo Ordinario Oleum petat, idest non ab aliena dioecesi, etiam si ob vacationem Sedis Olea non consecrentur in propria Cathedrali, sed in alia electa a Vicario Capitulari vel Administratore Apostolico. Id concordat cum decr. S. R. C. 2178 ad 2 et 2298 ad 3, quae mandant quod si, ob aliquam canonicam necessitatem Oleorum consecratio fiat in alia dioecesis Ecclesia (et eo magis si ab alia Ec-

clesia Cathedrali recipiantur), nihilominus Olea sacra distribuantur in Ecclesia propria Cathedrali. Circa personam mittendam ad recipienda Olea Codex silet, et proinde sinit Episcopis seu Ordinariis statuere regulas, iuxta decr. S. Officii 1 maii 1901 et 11 iannuarii 1903, quae dum vetant transmissionem Oleorum consecratorum per " Postam „, permittunt, deficientibus clericis, ea committere laico fide digno.

Circa custodiam Ss. Oleorum aliquid *novi* statuit Codex: non *novum* quia nunquam notum in praxi, sed quia nondum in lege aliquid similis sancitum erat. Requirit hic Canon ut Olea sacra custodiantur in ecclesia.

Rituale (Tit. cap. 1. n. 37) cum loquitur de custodia Oleorum tantum requirit ut "in loco proprio honesto ac mundo sub clave ac tuta custodia asserventur „ ; Pontificale Rom. tantum dat post ritum consecrationis hoc monitum : "Episcopus iubet Presbyteros attente, ut iuxta Canonum traditionem Chrisma et Olea fideliter custodiant„; Caeremoniale Ep. (l. I, c. 6. n. 2) mandat sacristae Cathedralium et Collegialium Ecclesiarum : " circa sacri Chrismatis aliorumque sacrorum Oleorum conservationem diligentissimam curam, iuxta praescriptam sibi ab Episcopo normam „.

Fatendum est rubrica Ritualis " rigorose locum non adsignare, pro sacris custodiendis Oleis, sed quod expresse non iubet, tacite tamen designatum intelligitur, et ex contextu aliisque rubricae locis declaratum videtur esse Ecclesiam... Praeterea quod lex aperte non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat. Nam ubique Ecclesia locus est in quo sacra Olea asservantur : at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis

in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope altare maius, sed seorsim ab illo: in aliis servabantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam sive Sacrarium et Secretarium vocant; in aliis tandem intra ipsum, vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma et Oleum Catechumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur. Quovis autem in loco ex memoratis sacra Olea custodiantur, *semper ac solemne cuique fuit* summa cum reverentia *eadem servare et custodire in Ecclesia*... Haud praetereunda sunt quae S. Carolus Borromaeus... quoad rem hanc sapienter constituit pro su Mediolanensi Ecclesia, in III Provinciali Concilio...: "Sancti Chrismatis et sancti Catechumenorum Olei... vascula non alibi, sed *in Ecclesia* religiose adserventur „ (Suffrag. et adnot. super decr. S. R. C. 2650 ad 3).

Ad rem facit decr. S. R. C. 1260, quod pro loco decenti designat armariolum in parietibus presbyterii seu altaris in quo asservatur ss. Sacramentum sive in cornu Epistolae sive in cornu Evangelii. Videtur tamen loqui tantum de Oleo infirmorum: vasa *Olei sancti*. Et revera communis práxis habet ut ad huiusmodi armariolum apponatur inscriptio: *Oleum infirmorum*. Imo animadvertendum est, male convenire interius ornatum cunctis SS. Oleis: namque violaceus color non convenit praesertim s. Chrismati, atque albus Oleo infirmorum.

In praxi videmus Ecclesias pro hac asservatione elegisse custodiam post vel prope altare in quo reconditur ss. Sacramentum, forsitan e duplici capite: 1. quoniam decentius est sacra Olea asservari adhibitis luminibus assidue ardentibus et ita illae quae ratione ss. Sacramenti ardent lampades, inservire possunt etiam custo-

diendis reverenter sacris Oleis; 2. quia frequenter accidit, ut dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum etiam infirmorum pro extrema unctione deferendum sit (Cfr. cit. suffr.).

Iuxta Baruffaldum, altitudo a terra huius fenestellae in pariete Ecclesiae tanta debet esse ut sufficiat ad commode eam aperiendam sine ope suppedanei vel scalae, sit formae quadratae et amplitudo eius quanta ad opem sufficiat, intus ex asseribus sit contecta bene levigatis, serico coopertis, coloris violacei...; ostiolum habeat ex ligno quod bene claudat cum sera et clave „. Etiam Baruffaldus agit de custodiendo tantum Oleo infirmorum in hoc armariolo.

Advertendum est tamen quod in unaquaque Ecclesia parochiali vel cui inest cura animarum, duo genera vasorum necessaria sint, unum pro conservatione, aliud pro quotidiano usu sacrorum Oleorum: et cum tria sint Olea sacra, pro conservatione tria requiruntur, quae satis ampla debent esse ut Olea capiant necessaria pro annuo usu.

Vascula maiora et minora Chrismatis et Olei Catechumenorum custodiri possunt etiam in apposito armariolo prope Fontem baptismalem; sed si structura armarioli eadem debet esse, tamen color serici erit albus.

"Ad usum quotidianum (pro administratione Baptismi) minora habeantur vascula... sive separata sive etiam coniuncta, apte tamen distincta et bene cooperta.... In ea... ex maioribus vasculis Chrismatis et Olei (Catech.), quod sufficiat infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium seu quid simile habere, Oleo sacro et Chrismate separatim perfu-

sum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur (Rit. Rom. tit. II, cap. 1, nn. 35-36) „.

" Expeditior modus ad bonam habendam custodiam horum vasculorum (minorum), est ut asserventur in Fonte baptismali, nempe in eius propyleo ad instar tumuli confecto.... seu in armario seiuncto in capella baptisterii constructo „ (Baruffaldus *l. c.*).

Vas minus Olei infirmorum custodiatur in armariolo in pariete Ecclesiae prope altare ss. Sacramenti seu maiori, etiam, si placet, cum vase maiori. In Ecclesiis ubi plures Sacerdotes curam animarum gerunt plura vascula habeantur, ne dum alius apud aliquem aegrotum vocatur, alter inopinate vocetur apud alium infirmum extrema unctione indigentem.

Minus vas indiget (Baruffaldus docet) quadam capsula rotunda talis mensurae, ut unice capiat illud et sit intus subsuta serico panno violaceo : extra vero cooperta corio colorato. Insuper alio tegmine indiget hoc vasculum, nempe bursa serica coloris violacei, dupliciter subsuta, cum suis funiculis sericis, eiusdem coloris, ad illam obstringendam. Iuxta Rituale Rom. (Tit. V, cap. 1, n. 4) : " Oleum ipsum vel per se solum, vel in bombacio seu re simili servari potest : sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio „.

De materia vasculorum loquitur idem Rituale (Tit. II, cap. I. n. 34) quod ea vult argentea vel saltem stannea: tamen non constat esse vetitum hodiernum usum vasculorum vitreorum aut ex murrha (vulgo *porcellana*), si haec vascula serventur in vasculo stanneo vel argenteo, consulitur enim melius hoc modo incorruptibilitati Olei

et decentiae ; saepe videntur haec vasa vitrea in vasis ex quocumque metallo ; qua etiam de re hucusque suprema Auctoritas tacuit.

Ne quis error committatur, unumquodque vas habeat suam inscriptionem litteris maiusculis incisam.

Canon Codicis I. C. Olea sacra retinere *domi* non permittit, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, *accedente Ordinarii licentia.*

Iam pluries S. R. C. declaravit et decrevit domi non posse servari Oleum infirmorum, nisi in casu magnae distantiae ab Ecclesia, et non sufficere, si domus parochialis a parochiali Ecclesia non distat, rationem, quod si non servaretur *domi*, noctu per accitos famulos fores Ecclesiae aperiendae essent ; in casu vero magnae distantiae, omnino servandam esse etiam domi rubricam quoad honestam et decentem tutamque custodiam (cfr. Decr. 2650 ad 5, 3276 ad 5, 3739 ad 2, 3779 ad 7). Adnotator Decr. 2650 (Vol. IV Decr. S. R. C. pag. 283) concludit : " Passerinus cap. 9, n. 102, quem sequitur Barbosa, non bene agere putat Parochum dubitantem de nocte se fore pro infirmo periclitante vocandum, si vespere ferat Oleum ad suum cubiculum, ut vocatus expeditior procedat : vel si de nocte reversus ab administratione Sacramenti, Oleum non reponat in consueta fenestella seu repositorio Ecclesiae, sed retineat in cubiculo usque mane : verumtamen gravis eum piaculi minime damnandum putat, dummodo non adsit scandalum vel periculum irreverentiae. Mei instituti ratio non fert, ut in hac sententia discutienda immorer. Dato autem quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam noctem vel partem noctis sacrum Oleum domi retinere, ut promptius accurrat ad illud

morituro ministrandum, ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur, a regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse, proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione sacrum Oleum domi retinere „.

CAN. 736.

Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive indirecte exigat aut petat, praeter oblationes de quibus can. 1507, § 1.

Canon hic desumptus est a Rituali Rom. (Tit. I, n. 13): " Illud porro diligenter caveat (minister), ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat aut petat.... „. Quod satis est adnotasse.

TITULUS I.

DE BAPTISMO

Non omnes huius Tituli Canones sacram Liturgiam respiciunt; quin imo maxima eorum pars attingit Theologiam pastoralem et Ius proprie dictum: nonnulli Theologiam moralem et dogmaticam.

Sed omnes norunt inter has scientias sacras necessario intercedere vincula, maxime in administratione et confectione Sacramentorum.

Idem Rituale ita permiscere solet notiones disciplinae canonicae cum elementis aliarum sacrarum institutionum, ut in unico libro dici possit contineri ea omnia quae scitu necessaria sunt circa administrationem Sacramentorum. Ex hoc difficilius cuiusque scientiae definire limites in tali argumento.

Rituale Romanum prae manibus habuerunt consultores et adlaboratores novi Codicis in compositione horum Canonum; optima fons iuris habitum est, eiusque traditae normae frequenter in Codicem relatae sunt excerptis fideliter verbis.

Ne immoremur, sine utilitate, in relatione omnium dictionum e Rituali excerptarum, quae in hoc Titulo Codicis continentur, ad eam Codicis editionem studiosos remittimus in qua fontes citantur.

In explanatione Canonum qui disciplinam Sacramentorum tradunt, ea erit nobis commentandi ratio ut eos

tantum attingamus, qui argumentum praebent discussionis liturgicae, vel saltem pastoralis.

CAPUT I

DE MINISTRO BAPTISMI

Can. 741.

Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus ; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.

Rituale Romanum, quod etiam de baptismo privato agit et ordinem describit servandum inter diversum genus personarum in casu necessitatis, nescimus qua ratione sileat de ministro extraordinario baptismi solemnis, quamvis de hac diaconi facultate loquantur Pontificale Romanum in ritu ordinationis et omnes antiqui Canones, et canonistae una cum moralistis controversias limitantes, hanc potestatem diacono factam iamdiu proponerent.

Iuxta Aa., causa sufficiens et iusta, ob quam diacono munus baptizandi committi potest, censetur, ex. gr., si parochus abest vel aegrotat, si concione aut audiendis confessionibus occupatus est.

Canon hic respuit sententiam s. Alphonsi, quae tenet, diaconum non licite baptizare solemniter *in casu necessitatis* sine commissione parochi ; sequitur vero sententiam Suarez (disp. 23, sect. 2, n. 10), affirmantem licitam administrationem ob rationabiliter praesumptam commissionem.

At nova hic exsurgit quaestio, quae mihi videtur ab Aa. nunquam agitata.

R.mus Episcopus Marianen. in Brasilia insequentis dubii declarationem petiit: " Quum aliquando necessitas exigat ut diaconis committatur solemnis baptismi administratio, quaeritur: Potestne diaconus salem benedicere et aquam? „. S. R. C., die 10 februarii 1888, declaravit ac rescripsit: " *Negative* „ (decr. 3684). *Quoad aquam*, transeat! Casus renovationis aquae Fontis quotidianus non est, et sperandum est ne talis exsiccatio, effluxio vel corruptio aquae, occurrat tum cum diaconus fortuito baptizare debet. Sed *quoad sal*, quaestio est maximae frequentiae, quia haud difficile est ut deficiat sal in alia praecedenti collatione baptismi a sacerdote benedictum et reservatum pro subsequentibus.

Ante decretum illud, certe sal benedicebatur a diacono; aqua vero, cum requirat peculiarem solemnitatem, non benedicebatur ab illo: bona fide, cum deesset norma, id agebatur. At nunc?

Certe, si desit aqua baptismalis et periculum sit in mora, diaconus omittit solemnitatem administrationis et privatim baptizat cum aqua naturali. Sed, debetne omittere integrum ritum solemnem eo tantum quod sal desit alias benedictum a sacerdote? Potestne integer ritus administrationis dici servatus si diacono concessa esset omissio caeremoniae degustationis salis et sequentis orationis? Forsan diacono data est in tali circumstantia facultas utendi sale non benedicto, ut vitentur et manca caeremonia mutilaque oratio?

Quaerendum enim est, num illud decretum vim suam adhuc retineat; at novus Codex nullam praebet lucem, cum cuiusque ordinis proprias benedictiones non patefaciat, sed tantum per canonem 1147, § 4 doceat: " Diaconi

et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur „.

Decretum illud 3684 cum *nihil novi* statuat et Codex cum nihil contra decretum et *fontem decreti* doceat, dicendum est vim suam retinere seu declarationem legis nullam passam esse mutationem.

Ex cap. *Aquam* 16 de consecr. dist. 3 et ex cap. *Perlectis* I dist. 25, eruitur omnium benedictionum *rerum* quae fiunt *cum exorcismo* solum sacerdotem ex potestate sui ordinis esse adaequatum ministrum: *decretum* confirmat non esse locum derogationi, etsi iamdiu, bona fide ob ignorantiam legis, diaconus cui commissa erat baptismi solemnis administratio aestimaret non omittendam salis benedictionem.

Quid ergo diaconus debet, ad evitandam quamcunque legis violationem, facere? Profecto invalida et illicita esset salis novi benedictio a se peracta: aliunde omittere ne debet solemnitatem ob hanc denegatam facultatem sal benedicendi?

Scimus: Baptismus *regulariter* cum omnibus caeremoniis conferendus est, qua pro tota Ecclesia latina exhibet Rituale. Constitutio *Omnium sollicitudinem* Benedicti XIV docet, peccare lethaliter qui, *sine gravi causa*, omittit aliquam notabilem caeremoniam ex iis quae in collatione baptismi observandae sunt, ex. gr. salivae et *salis* impositionem.

At, certe, nulla gravior causa carentiae potestatis pro omittenda caeremonia: proinde diaconus, cui committitur solemnis baptismi administratio, si sale benedicto a sacerdote careat, omittere debet caeremonias benedictionis, degustationis salis et orationem sequentem.

Verum cum salis caeremonia tanti fiat a fidelibus, ut, quantum nobis videtur, grave scandalum paterentur, notantes illius omissionem, consulendus est, salvo meliori iudicio, in casu, salis non benedicti usus, cum relativis formula et oratione. Si in casu necessitatis adhibetur aqua non benedicta in baptismo, cur non similiter adhiberi posset sal non benedictum ? Ceterum ritus impositionis et verba quae proferuntur suam vim optime servant, etiamsi sal careat benedictione.

* * *

CAPUT II. De subiecto Baptismi *materiam praebet ad theologiam pastoralem omnino pertinentem.*

CAPUT III.

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS BAPTISMI

Can. 755, § 2.

Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum.

Per decretum S. Officii 12 februarii 1851, in baptismo eorum qui *perfectum* rationis usum habent (1) adhiberi debent caeremoniae pro adultis praescriptae, et tantum e peculiari indulto Apostolicae Sedis uti licet caeremoniis praescriptis pro parvulorum baptismo. Codex I. C. non requirit dispensationem S. Sedis, et sufficit

(1) Aliud decretum S. Officii 10 maii 1879 aetatem *perfecti* usus rationis declarat esse post expletum 14 aetatis annum. Can. 745. § 2, Codicis I. C. illum declarat ad baptismum adultorum admittendum esse, qui *suo animi motu* baptismum petit ; Can. vero 752, § 1, mandat ne baptizetur adultus *nisi sciens et volens* probeque instructus.

nunc dispensatio proprii Ordinarii, cui Ordinario aliunde, ex praescripto Canonis 744, ubi commode fieri possit, deferendus est adultorum baptismus, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato conferatur. Ex hac Codicis permissione, patitur exceptionem etiam decretum S. R. C. 3051 ad 3, quod usum ritus infantium pro adultis vetat. Utile erit in conspectu habere decretum S. R. C. 2743 ad 3 et 4, quo statuitur : " Baptismi caeremoniae, si supplendae sint super adultum catholicum valide baptizatum, adhibeantur illae quae pertinent ad baptismum infantium; si vero supplendae super adultum ab haereticis baptizatum, servandae sunt illae quae praescriptae sunt pro baptismo adultorum „.

Haec diversa agendi ratio pendet a diversa conditione personae.

In primo casu agitur de adulto ex catholicis parentibus orto, qui ante usum rationis baptizatus est et caruit debitis caeremoniis tantum ob aliquod impedimentum. Nihil habet quod instructione in fide indigeat, nihil quod errorum detestationem exposcat, nihil quod contra fidem senserit ac debeat revocare. In suo baptismo omissae sunt caeremoniae, quae pro infantibus praescribuntur, et ideo, in supplendis, caeremoniae illae servandae sunt; secus, si adhiberentur quae pro adulto, servarentur quae illius statui ac religioni non respondent, nec conformes sunt intentioni et fini Ecclesiae.

Adultus vero, qui ab haeresi ad fidem venit, habet aliqua particularia, quae oportet ut detestetur, revocet, profiteatur ; ritus et caeremoniae necnon verba quae hanc detestationem, professionem respiciunt, tantum in schemate pro adultis inveniuntur.

Sed non tantum, ut concedit Canon iste, Ordinarius concedere potest ut pro adulto serventur caeremoniae pro infantibus, sed etiam, ut permittit Rituale Romanum (Tit. II, c. 3, n. 16), quando agitur de haereticis valide baptizatis, permittere potest ut omittantur omnino caeremoniae. Pariter decretum 2743, quod commentati sumus, supponit talem dispensationem, significantibus his verbis utendo: " quatenus supplendae vel *supplendae esse credantur* caeremoniae... „.

CAN. 757.

§ 1. *In baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hoc benedicta.*

§ 2. *Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia.*

§ 3. *Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem, bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat.*

Hae regulae depromptae sunt fideliter e Rituali Romano. Circa admixtionem aquae non benedictae cum benedicta, Codex eamdem regulam tradit quam in casu imminutionis sacrorum Oleorum vidimus signatam.

Haec norma Codicis, ut patet ex sequenti paragrapho, adhibenda est si imminutio talis sit ut adhuc permittat administrationem nonnullorum baptismorum. Saltem in baptisterio, ut rem melius explicemus, servari debent quinque cochlearia aquae (cochlear nominamus de quo loquitur Rubrica, quod inservit ad aquam fundendam super caput baptizandi); quia si minor quantitas inve-

niretur, ob amplitudinem Fontis, male cum eodem cochleari seu vasculo hauriretur. Non necessitas, sed potius commoditas hanc admixtionem aquae non benedictae cum benedicta dirigit. Ergo si quinque cochlearia aquae benedictae adhuc residuae sunt, licet iisdem addere alia quatuor et, si mavis, quatuor cum dimidio. Post administrationem unius baptismi licet alia cochlearia aquae addere, et, praecise alia septem (cum ex novem reducta sint ad octo). Et non tantum haec additio fieri potest si inter varias additiones sacramentum administratnm fuerit, sed etiam extra hunc casum; dummodo fiat eo quod *minus videatur sufficere*, et quidem subinde, non uno eodemque tempore seu immediate post, sed successivis momentis, convenienti mora, prout ferunt circumstantiae. At in casu quantitas aquae addenda, ut patet, computanda est iuxta aquam quae in Fonte remanet.

Rituale concedit etiam, si aqua baptismalis sit nimium frigida, ne noceat tenello infanti, ut eidem admisceatur aqua naturalis calefacta (l. c. n. 7); sed haec admixtio facienda est, ut idem Rituale docet, non in Fonte, sed in vasculo seu cochleari: at cautela maxima adhibenda est, quia facile accidere potest ut, in cura maiore ad obtinendam aquam tepidam quam in attentione additionis debitae, qui hoc agunt praetergrediantur limites concessos.

Tantum si in Fonte aqua ita defecerit, ut moraliter impossibile sit recurrendi ad additionem, vel si aqua sit corrupta, aqua nova benedicenda est. Corrupta non est dicenda aqua eo quod oleum in ea, diuturnitate temporis, mucescit: attamen opportunum erit, ut moris est apud ecclesias adamussim ritus servantes, bombacio, aut aliqua re simili, aquam oleo expurgare, quod, cum nitori

et puritati vasis consulit, tum non officit consecrationi, sicut vasa sacra non execrantur per abstersionem unctionis post eorum consecrationem factam.

Canon et Rituale mandant *parocho* ut "in Fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, ecc.„. Lavatur et mundatur vas; nam oleum facillime circa parietes unguem deponit: et ipsa aqua etiam purissima et nitidissima, ut est in Fonte stagnans et clausa, sedimen relinquit. Et parocho demandatur; nam, quamvis benedictio Fontis in sabbatis Paschae et Pentecostes, et haec non sit de iuribus mere parochialibus, tamen, iuxta decretum S. R. C. n. 2123 ad 6, fieri debet a parocho, nisi agatur de ecclesia capitulari, et Capitulum hanc functionem peragat (C. I. C. Can. 462, 7º). Ut supra adnotavimus, haec benedictio nequit diacono, neque in casu necessitatis baptizanti, committi.

Ritus adhibendus *extra* duo sabbata Paschae et Pentecostes refertur a Rituali post ritum baptismi, ut in promptu sit (cap. 7). Et forsan tantum pro commoditate, ne cogatur sacerdos uti simul Rituali et Missali, indicatur recitanda Litania ordinaria quam Rituale post septem psalmos poenitentiales refert; quia statim Rubrica concedit Litaniam breviorem, quae habetur in Missali pro functione benedictionis Fontis in dictis sabbatis. Non adhibetur cereus paschalis, sed insufflatio, quae alias fit ipso immerso servatur. Praeterea, quasi ad reducti ritus compensationem, Rubrica incensi usum mandat, quo, ante oleorum infusionem, Fons thurificatur.

Alia benedictio Fontis minus solemnis, et sat brevis, prostat in appendice Ritualis, alias adprobata a Paulo III pro missionariis Peruanis, quae nonnisi iis in locis

adhiberi potest, ad quae speciali indulto Apostolicae Sedis extensa sit.

CAN. 758.

Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus aut mixtus ex utroque, qui magis sit in uso, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros.

Rituale Romanum (Tit. II. c. I, n. 10), e quo depromptus est iste Canon, haec habet: " Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur: ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians „. Non loquitur ergo de *methodo mixta*: et de baptismo per aspersionem eadem habetur opinio, scilicet de eo non esse loquendum; licita et valida est talis administratio, sed non consulenda nisi in locis missionum, ubi multitudo baptizandorum non sinat singulos alia methodo baptizare. Scimus, baptismum per immersionem conferri quando totum corpus baptizandi in aquam immergitur: at mos laudabilior est ter immergendi tantum caput. Haec methodus est *mixta*. Quilibet tamen minister debet servare ritum propriae Ecclesiae, et non pro libito una pro altera uti.

CAN. 759.

§ 1. *In mortis periculo baptismum privatim conferre licet; et, si conferatur... a sacerdote vel diacono, serventur*

quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur.

§ 2. *Extra mortis periculum, baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur.*

§ 3. *Caeremoniae autem, quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur, nisi in casu de quo in* § 2.

Notandum est Canon em istum de medio auferre omnem laxam interpretationem dictionis adhibitae a Rituali Romano (Tit. II. c. I. nn. 23, 29), non loquendo de "casu necessitatis„, sed de " mortis periculo „. S. Alphonsus ad casum necessitatis reducebat periculum infamiae parentum; Scavini, adnotando hanc S. Alphonsi opinionem, idem dicendum duxit, "si genitores recusent puerum ad ecclesiam referre „ ; Genicot in postremo hoc casu concedit matri (si pater, nefaria impietate, obstat) infantem suum baptizare, si neminem alium tuto et commode adhibere valet: S. C. S. Officii, suo decreto 11 ianuarii 1899, obstetrici permittit infantem baptizare, ubi ob rationem minime sufficientem a parentibus differtur baptismus, quando positive timetur ne puer tempore dilationis sit moriturus. Sed de his sermo inferius redibit.

Idem Canon, inhaerendo decreto S. R. C. 23 ianuarii 1914, necnon anteriori n. 2607 diei 23 septembris 1820, observantiam Ritualis Romani premit in baptismo conferendo a sacerdote vel diacono, quando imminet periculum mortis, *si tempus adsit*. Haec postrema verba, tamen, non eadem sunt quibus utitur Rituale nec eamdem significationem habent; nam Rituale utitur dictione: " si habeat „. Verumne est, equidem, Rituale agere, sub nn.

28, 29, 30, Tit. II de baptismo *domi* collato? Mihi videntur hae Rubricae considerare casum, etsi satis rarum, praesentationis infantis moribundi ad Fontem. Non aliena certe talis hypothesis est, si considerentur hae Rubricae ut sonant. Cl. Berengo in sua Theologia Pastorali (P. II, c. 3. a. 1, n. 78) haec habet: " Monet Rituale Romanum post Ordinem Baptismi Parvulorum, ut si, *incepta solemni administratione*, baptizandus, sive infans sive adultus, incidat in vitae periculum, ita ut timeatur, ne pereat antequam baptismus perficiatur, Sacerdos, hoc in casu, omissis quae baptismum praecedunt, formam pronunciet simulque aquam infundat, addatque, si res tempusque suppetunt, unctionem Chrismatis in vertice, traditionem vestis candidae et lampadis cum propriis orationibus, prout est in Ordine Baptismi; et si supervixerit, cessata morbi gravitate, suppleat alios ritus omissos „. Attente observa: Rubricae hae sequuntur immediate ritum, efformantes quasi unicum textum, non appendicem ut, verbi gratia, evenit pro supplendis caeremoniis: non utuntur verbis: " ne pereat *antequam* baptismus *perficiatur* „: quod praeberent moram, essent caeremoniae " quae baptismum praecedunt „, quae proinde omittendae sunt. At, si ageretur de baptismo *domi* conferendo, inutilis esset haec loquendi ratio, nam etiam a veteri iure vetitum erat uti caeremoniis in privatis locis. Nihil contra opinionem facit Rubrica, quae docet: "si non habeatur aqua baptismalis et periculum impendeat, sacerdos utatur aqua simplici „, et "deinde si habeat Chrisma ecc. „: et mihi non raro accidit in ministerio, ut infantem offerrent in ecclesia baptizandum, quem primo obtuto iudicavi periclitantem, ita ut aestimarem non suppetere tempus aperiendi

Fontem. Dum aedituus claustra baptisterii, tabernaculum Fontis aperiebat, aqua lustrali, quae apud ianuam ecclesiae in promptu erat, statim baptizavi: in casu, etiam aqua lustralis dici potest aqua simplex, cum non sit ad baptismum benedicta.

Eodem modo ratiocinamur quando agitur de Extrema Unctione. Rubrica n. 30 Baptismi: " Si supervixerit, suppleantur ritus omissi „, respondet Rubricae n. 10 Tit. V, c. 1: " Si quis..... laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam* etc.: deinde, si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae. „

Cl. Bernard, reportata Rubrica, eam commentatur: " Telle est la rubrique... il s' agit donc ici de danger de mort; ou bien le malade est apporté à l' église, ou bien le prêtre est appelé à la maison. Dans le premier cas, on pourra suivre sans difficulté le texte ci-dessus, puisque tout sera sous la main: Eau baptismale, saint chrême, petit vêtement et cierge; après la remise de ces deux derniers objets, *il faut suppléer immédiatement* les cérémonies omises, c'est-à-dire celles qui précèdent l'ablution baptismale; ainsi le veut la rubrique... Le prêtre qui a baptisé avec le surplis et l'étole blanche, prend la couleur violette pour suppléer les cérémonies. Si toutefois, pour une raison ou pour une autre, *on ne pouvait avoir à temps*, même à l'église, l'eau baptismale, le prêtre se servirait de celle qui serait sous sa main, comme l'eau du bénitier ou toute autre naturelle (Cours de Liturgie Romaine: *Le Rituel*, t. I, pag. 393) „.

De baptismo *domi* conferendo a sacerdote vel diacono *per se* Rituale nihil statuit; at ad Ritualis Rubri-

cas remittit decretum S. R. C. n. 2607 diei 23 septembris 1820, in Calaguritana et Calceaten. Canonicus poenitentiarius cathedralis Calceaten. (*Calzada* in Hispania) hanc facti speciem S. R. C. subiecit: " Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit, eique sacrum Chrisma et Oleum sacrum, quod secum detulit, imposuit prout in Rituali Romano. Quaeritur an bene vel male se gesserit in casu necessitatis extra ecclesiam? „ S. C. respondendum censuit: " Iuxta votum; nimirum parochum male se gessisse baptizando cum stola violacea et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam etiam Oleo catechumenorum. In casu enim necessitatis, iuxta Ritualis praescriptum, *omnia sunt omittenda quae baptismum praecedunt*, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit „. Liquet, hoc decretum non urgere observantiam Rubricarum sub n. 30 Ritualis, tantummodo damnare administrationem olei catechumenorum et usum stolae violaceae in baptismo privato, et indirecte tantum *sinere* iudicare *permissionem* utendi Rubricis sub n. 30 etiam *domi*. Nonnulli Aa. censent, si infans non in extremis sit, ritus inchoari posse a professione fidei, idest a momento quo in baptismo solemni mutatur stola, et prosequi post ablutionem, ut notat Rituale: sed de hac opinione nulla suffulta decretis idem dicendum quod S. C. de oleo censuit.

" Erit forte quis, qui postulet curnam adhiberi possit sacrum Chrisma, si in promptu est, non autem oleum catechumenorum? Facilis et expedita esset responsio, si dicerem, rationem non esse petendam, dum lex aliquid expresse iubet aut vetat verbis non ambiguis. Verumta-

men ratio haec nimis est generalis; alia igitur quaerenda, neque multis est opus, ut eam inveniamus. Ita Rubrica disponit, ut etiam in casu, quo ad baptizandum parochus vel sacerdos accedat, nulla interponatur mora, statimque spirituali baptizandi saluti provideatur. Cum enim non liceat privatim baptizare infantem vel adultum catechumenum, nisi gravis necessitas urgeat, et periculum non remotum, sed proximum mortis immineat: plane consequitur ab ea actione esse incipiendum, in quo Sacramentum ex divina institutione consistit; ne, si differatur ut praemittantur preces, exorcismi etc., interim baptizandus decedat. Non enim qualecumque periculum satis est, sed illud, quod dilationem admittere et moram dare non videatur. Postquam vero necessitati fuerit consultum quatenus infans vel adultus luce adhuc fruatur, cum nulla formido supersit, *poterit* Sacerdos alias caeremonias perficere, quae subsequuntur; et quatenus vas Chrismatis secum habeat, hoc linire verticem, candidum linteolum porrigere, accensam candelam tradere, orationes et respectivas formulas pronunciare; quae omnia commode fieri possunt, quia, dum haec fiunt, si infans vel adultus decedat, spiritualis salus, ex ei iam collato baptismate, in tuto est; secus vero dicendum de caeremoniis, quae praecedunt, quia, dum dicuntur preces et exorcismi, evenire potest, ut baptizandus nondum sacro lotus lavacro, moriatur. Atque ea est vera ratio, ob quam Rituale omittenda esse iubet, quae praemittenda sunt; permittit, ut fiant, si sacerdos sit minister et sacrum Chrisma in promptu sit, quae subsequuntur (Decr. S. R. C., Vol. IV, Adnot. super decr. 2607, pag. 198) „.

Cum autem iam communis, ex Aa. praescriptionibus,

opinio esset orta de obligatione observandi Rubricam n. 30 Ritualis etiam domi, Episcopus Versaliensis quaestiones has proposuit S. R. C.: " 1. An in administratione baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquae, urgeat sub gravi Ritualis Romani praescriptum quoad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei? 2.... Nonne curandum est ut isti ritus stricte adimpleantur, et sacerdos in casu sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat? „ S. C. ad utrumqne respondit: " Standum Rituali Romano „ (23 ianuarii 1914).

Igitur Rubrica 30 non est praeceptiva; tantummodo dari potest quod providus sacerdos, in casu necessitatis ad conferendum *domi* baptismum vocatus, aquam de Fonte et alia secum ferat. Haec, tandem, sonat responsio S. R. C.: " Si commode habeantur, illis utatur sacerdos, ut notat Rituale, alioquin, sine anxietate, baptizet sicut baptizaret laicus „. Non omnes sacerdotes, in ea quae in Fonte reservantur facultatem habent, nisi sint cooperatores ecclesiae Fontem habentis: alii, dum postulant, quaerunt etc., periclitantem sinerent absque baptismo. Si pro infirmis datur facultas retinendi oleum apud se in casu verae distantiae ab ecclesia, non ita conceditur conservatio chrismatis, et sine ratione conservaretur aqua baptismalis.

Strictioribus verbis utitur Canon, non concedit omnimodam libertatem, ut Rituale et allata decreta: sed mandat ut " *serventur quoque* „, et tantummodo in ditione " si tempus adsit „ habetur aliquid conciliativum.

In praxi: si vere vocatur sacerdos a longiori distantia, periculum non aestimandum est ita imminens,

nam, in casu, dubitare licet an tempestive perveniant vocans et vocatus : anxius tunc deberet esse sacerdos etiam de celeriori modo itineris, quia, si cum equo vel ocypede vel *auto* citius necessitati occurreret : et ideo, plus minusve, si vocetur dum ecclesia patet, tempus suppetere deferendi chrisma aestimandum est, alioquin tempus pretiosum tereretur. Quilibet, in propria conscientia. at sine anxietate, in singulis casibus, iudex est de obligatione secum ferendi Chrisma.

Notandum est, Canonem non loqui de aqua baptismali ferenda, sed tantum de caeremoniis quae sequuntur ablutionem sacramentalem. At, si deest chrisma, omittenda ne est traditio linteoli candidi et candelae ? Nullam authenticam interpretationem habemus : aestimamus posse, sed non teneri.

§ 2 *huius Canonis* aufert facultatem quam Aa. concedebant Ordinariis permittendi simplicem ablutionem sacramentalem *domi* factam extra mortis periculum. Audiamus cl. Bernard (l. c.) qui tenet cum Maurel et Gousset quae sequuntur : " Il nous faut parler maintenant de l'ondoiement fait en dehors du cas de necessité. On ne peut y procéder qu' avec l'autorisation de l' Evêque; lui seul juge de l'opportunité et de la valeur du motif ; *ce motif est généralement l' absence des parrains ou du ministre du baptême*... Nous inclions volontier à croire, avec plusieurs auteurs, que, dans ce cas, on peut s' en tenir au simple ondoiement, sans faire aucune des cérémonies subsèquentes... Il faut faire cet ondoiement dans l'église paroissiale, ou dans une chapelle privée, et toujours avec de l'eau baptismale, en surplis et étole blanche„.

Haec prohibitio baptismi privati non confundenda

est cum permissione ab Ordinariis concessa solemniter " *domi* baptizandi „; decretum enim S. C. de Sacramentis, 23 decembris 1912, ut infra videbimus, in novum ius relatum est.

CAN. 760.

Cum baptismus sub conditione iteratur, caeremoniae, si quidem in priore baptismo omissae fuerunt, suppleantur, salvo praescripto can. 759 § 3 ; sin autem in priore baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt.

In praecedenti Canone, § 3, a caeremoniis supplendis in ecclesia dispensatur tantum haereticus cui sub conditione baptismus privatim collatus sit. De hac omissione locuti sumus in commentario Can. 755, § 2, quae omissio tamen semper ab Ordinario adprobari debet : sed Ordinarius dispensare nequit in aliis casibus, ad maximum, ut a Can. 755 conceditur, permittere potest, si agitur de adultis, ut adhibeantur caeremoniae a Rituali exhibitae pro parvulis.

In baptismo sub conditione servantur pro supplendis caeremoniis regulae quae ab Aa. tradebantur : nil novi Codex statuit. Ideoque (sequimur Noldin, *Th. Mor.*, Vol. 3, n. 80, 3) :

a) *catholico*, qui solemniter *cum debitis caeremoniis* baptizatus est, caeremoniae omitti possunt, sed licite etiam peraguntur, et quidem ex baptismo parvulorum ;

b) catholico, qui *sine debitis caeremoniis* baptizatus est, caeremoniae adhibendae sunt, et quidem ex baptismo parvulorum ;

c) *haeretico*, quid ad ecclesiam redit, adhibendae sunt caeremoniae, cum primus baptismus sine debitis

caeremoniis administratus sit, et quidem ex baptismo infantium, si confirmationem, quam dicunt, nondum peregit, alias ex baptismo adultorum: et dispensare potest Ordinarius.

CAN. 772.

"*Solemnis baptismus qualibet die administrari potest: decet tamen adultorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigiliis Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis*".

Et Rituale docet: "Quamvis Baptismus *quovis tempore etiam interdicti et cessationis a Divinis*, praesertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paschae, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis Fontis aqua rite consecratur. Quem ritum, quantum fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet, aut certe, non omnino praetermitti, praecipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis (Tit. II, c. I, n. 27). "

Manifesto Rituale commendat praxim baptizandi his duobus sabbatis, non pro adultis tantum, sed et pro parvulis: habemus, igitur, quamdam, etsi minimam, differentiam inter praescriptionem Canonis et Rubricae; nam certe Canon excludere nequit opportunitatem reservandi, si facile obtineri potest, baptismum parvulorum pro his diebus, ut servetur etiam Rubrica Missalis (Sabb. S. post commixtionem Oleorum): "Si aderunt baptizandi... ".

Etiam monitum Caeremonialis Episcoporum (l. II, c. 27, n. 18) non excludit parvulos ab hac solemni administratione, quia mandat ut " per octo dies ante in ipsa ecclesia, nisi periculum immineat, nullus *infans* baptizetur„.

Ex dictis patet Canonem adimere *obligationem* Caeremonialis Episcoporum factam ecclesiis cathedralibus de non baptizandis parvulis " per octo dies ante „, at non impedire hanc praxim.

Nemo est, qui non videat maximam convenientiam baptismi adultorum peragendi his diebus, quam convenientiam iterum Rituale notat in Rubricis ante ritum (Tit. II, c. 3, nn. 4, 5): " Decet autem huiusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, solemniter celebrari. Quare si circa haec tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies Baptismum differi convenit „. Saltem aliquando tota Liturgia horum dierum et sequentium solemnitatum et octavarum respondeat facto! Si non habentur *veri* catechumeni in propria paroecia, habeantur baptizandi. Si non servari potest ritus *in albis*, saltem sint postea aliqui pro quibus congruenter super oblata orare concessum sit: nam etsi in universali Ecclesia certe his diebus catechumeni et baptizati habeantur, tamen minus propriae videntur hae preces in ecclesiis ubi ritus non perficitur: et hae preces evidenter congruunt etiam cum baptismo parvulorum.

Adverte Rubricam Missalis ante prophetias: " Ante, vel interim, dum Prophetiae leguntur, presbyteri catechizent Catechumenos baptizandos, et praeparent ad baptismum „. Catechismus, ut notat Merati (P. IV, tit. X, n. 32), his diebus, non ab ipso baptizante, sed ab

aliis sacerdotibus perficitur, nisi in ecclesiis ruralibus ipse baptizans ad id cogatur ante lectionem prophetiarum. Catechismus consistit in iis quae Rituale Romanum exhibet in ritu administrationis huius Sacramenti, non usque ad formam baptismi, sed usque ad ingressum ecclesiae, sive agatur de parvulis sive de adultis. Facta benedictione Fontis, in ecclesiam introducuntur a baptizante, qui debet esse ipse qui Fontis aquam consecravit.

Quamvis qualibet die baptismus solemnis administrari possit, tamen non conferendus est ante solis ortum vel post eius occasum, quo tempore generatim sacrae functiones non aguntur. Attamen S. Congregatio Concilii (Resolutio 31 iulii 1867) laudabilem censet consuetudinem baptizandi filios illegitimos et a fortiori spurios absque solemnitate, absque concursu populi et sine organi aerisque campani sonitu, adhibitis solum caeremoniis in Rituali praescriptis, quia haec signa laetitiae, observat ipsa S. Congregatio, in honorem aliquatenus cedunt etiam parentum, qui profecto, hoc in casu, honore digni non sunt.

CAN. 773 (conlatus cum CAN. 774-775)

Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.

Per Codicis sanctiones in sequenti Can. 774 contentas, non privatae nunnullarum ecclesiarum utilitati, sed publico commodo satisfactum est. Quivis parochus, tandem, custos est baptismalis Fontis, et ita, abluendo oves lavacro, simul cognoscit quinam in gregem cooptantur, quinam ex legitimis nuptiis fuerint procreati. Viarum asperitas, locorum distantia, numerus incolarum etc.

consulere possunt Ordinario ut Fons erigatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra ipsius paroeciae fines, et facultas ipsi facta est permittendi vel iubendi ut ibidem Fons baptismalis ponatur.

Baptisterium proprie appellatur aedes seu cappella in qua Fons est erectus. Antiquitus, cum unicus Fons in civitatibus erigeretur ad commodum totius civitatis, consuetudo ferebat ut baptisteria essent sacrae aedes distinctae ab ecclesiis, quod etiam nunc videmus apud praecipuas ecclesias multarum urbium. Sed ubi distincta aedes non facile haberi poterat, id semper cautum est ut baptisterium erigeretur in ecclesia in aliquo angulo ubi esset conspicuum, sed minus ecclesiam impediens, nec altaribus nimis proximum, nec subter suggesta positum : locatum ad introeuntis sinistram i. e. a latere evangelii. Intra cappellam baptisterii, imago S. Ioannis Baptistae qui Christum Dominum baptizat requiritur, sicut semper huic Sancto Praecursori dicatae fuerunt cappellae ab ecclesia distinctae : ipsa structura baptisterii definiet de opportuniore imagine depicta vel sculpta et de ipsa collocatione. Fons baptismalis in media cappella esse debet; ingressus cappellae cancellis clausus ; clavis apud parochum semper servata. Ubi autem, ob angustiam loci, nec haec quidem minima cappella erigi potest, ab evangelii latere non longe ab ostio paries aliquantulum ita concavetur, ut foris etiam ad hemicycli formam promineat, in qua concavitate Fons totus aut pars apte cohaereat et clathris ferreis a tribus partibus sepiatur (Conc. Prov. Mediol., Instr. Fabr. Eccl.).

" Maxime vituperandum est si baptisterium, idest locus, in quo baptizari solet, saepe inveniatur in illa ec-

clesiae parte, quae humidissima, frigidissima et aëri permeanti maxime exposita sit, scilicet sub turri vel proprius ad ianuam. Hanc teneri filioli sui valetudinis rationem etiam in aedificiis suis ecclesia adhibere debet, ut quantum ex ipsa pendet conferat, ne ille simul cum vita spirituali accipiat germen mortis corporalis (Capellmann, Medicina pastoralis, ed. lat. 1901, pag. 120, in nota)„.

Haec est norma habenda in erectione; sed si quid contra in baptisteriis iam erectis habeatur, curare debet rector ut error suorum praedecessorum aliquando, cum vires suppetunt, corrigatur, nisi in pastorali visitatione Episcopus aliter senserit.

Quoad vero structuram Fontis proprie dicti haec notanda veniunt. Pila seu vas aquae salutaris lavacri quamlibet formam praeferre potest, rotundam, sexangularem, octangularem, etc., dummodo sit ex marmore solido et integro, idest non porosae naturae, absque rimulis seu fixuris licet exiguis, ne aqua sensim sine sensu effluat. Nonnulli concedunt (et certe concedendum est ecclesiis pauperibus ob difficultatem obtinendi a commercio vas integrum) ut pila sit ex opere coementario dummodo vas, proprium ad aquam servandam, sit stratum aere incoctili stanno illito ad instar cacabi seu caldarii.

Vas duplex in nonnullis baptisteriis invenitur, unum ad recipiendam aquam ex capite baptizati, alterum ad servandam, uti diximus, aquam: primum in parte inferiori, secundum superpositum.

Non necessario erigitur duplex vas; communius, concha unica ita interius est disposita ut eius cavitas sit in duas partes divisa, quarum maior contineat aquam baptismalem; altera minor et anterior in quam nihil

aquae penetrare debet) vacua debet esse ad recipiendam aquam ex capite baptizati, et haec aqua per foramen interius secus basim, sive per tubulum secus parietem ductum, in cisternulam sub terram ducitur.

At et haec divisio conchae non praescribitur, et tota cavitas conchae repleri potest aqua: hoc in casu, aqua quae de massa cochlearis in baptismo effluit, excipi debet pelvi aliqua ex metallo, ne ex capite baptizati iterum in Fontem defluat: ex pelvi haec aqua refundenda est in sacrarium, quod ob id decet ut prope baptisterium efformetur.

Concha, vel pars conchae, quae aquam continet debet esse tecta operculo metallico vel ligneo; et si ligneum est, illius pars interna (non necessario, sed ad praecavendam ligni putredinem) oportet ut subsuatur metallo cuiusvis generis. Operculum ita conchae aptatum esse debet ut removeri possit quando Fons abstergendus est, et ostiolum habere ad hauriendam cum cochleari aquam. Supra Fontem baptismalem adsit tabernaculum seu ciborium ligneum pyramidatum, polite confectum, amovibile pro necessaria munditie et abstersione Fontis facienda ante renovationem aquae. Ciborii valvae, quacumque forma illud sit, spectare debent anteriorem ecclesiae parietem. Interiori parte obductum debet esse hoc tabernaculum panno serico albi coloris; parte vero exteriori, vel item serico albo panno vel saltem candida tela ex lino confecta aut ex corio inaurato, cum laciniis circumcirca pendentibus. In summitate tabernaculi, si desit imago depicta vel sculpta S. Ioannis Baptistae in altari vel pariete baptisterii, haec, in forma parvae statuae collocatur; si vero adsit, summitas exornatur cruce sine crucifixo vel, opportunius, agno cum vexillo.

Decoratio interna ciborii dispensare potest a panno serico, et quoad tentorium alicubi conceditur ut sit etiam coloris rubri (*Ornatus Eccl.* c. 35, p. 58).

Intra ciborium sit parvum receptaculum in quo olea sacra, bombacium, cochlear, vas salis, liber Ritualis, candidum linteamen asserventur, et, si non omnia haec apte servari possunt, saltem quae minori spatio continentur. Clauditur ciborium sera et clavi quadam arte elaborata.

Nonnullae ecclesiae tabernaculo non utuntur ad conservanda quae praesto ad manus habenda sunt, sed prope Fontem in pariete habetur cavum, ab omni humiditate securum, interius subsutum asseribus panno serico obductis, ostiolo et clavi munitum.

Pariter in nonnullis ecclesiis opportune (maxime si urbs vel pagus gaudet aquaeductu) iuxta Fontem instituta est piscina, ubi laventur manus post baptismi administrationem.

Sed haec hactenus : videamus nunc alias quaestiones quae ex concessione tam lata Fontis baptismalis oriuntur, et quas e Collectione Decretorum S. R. C. haurimus :

1. Benedictio Fontis facienda est ubi Fons habetur de iure in Sabbatis Paschae et Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet (decr. 3331) : neque fieri potest privatim breviori forma (decr. 3724 ad 1).

2. Ecclesiae filiales quae sacrum Fontem legitime habent ad hanc benedictionem tenentur, nec sufficit aquam benedicere usque ad Oleorum infusionem exclusive in ecclesia parochiali et inde deferre aquam ad alias ecclesias, sed benedictio fieri debet integra in singulis eccle-

siis. Deficiente vero clero in ecclesiis filialibus benedictio nequit differri ad alium diem, sed in casu adhibetur Memoriale Rituum Benedicti XIII, et parochus tenetur ad alium sacerdotem delegandum pro tali benedictione dictis diebus (decr. 4005). Si nullus sacerdos inveniatur cui benedictio Fontis in ecclesia filiali committi queat, posita vera necessitate huius deficientiae sacerdotis, super quo conscientia parochi onerata manet, *idem parochus* de benedicta aqua ex principali ecclesia asportet in aliam (decr. 4057 ad 1).

3. Non necessario benedictio aquae in ipsa concha facienda est, quinimo si parva sit cappella baptisterii vel iutra cancellos parum spatii habeatur, melius solemnitati consulitur si in aliquo vase extra Fontem posito benedictio aquae perficitur, deinde fundendae in Fontem ipsum ante immixtionem sancti Olei (decr. 3524, dub. 5).

4. Si attentis circumstantiis temporum difficulter recipi possunt Olea noviter consecrata in Sabbato Sancto, infundi *debent* Olea sacra vetera in aquam, et haec aqua ut recens habenda est, et proinde, etsi Olea nova postea afferantur, servari debet usque ad vigiliam Pentecostes, in qua benedicitur Fons cum novis Oleis. Hoc temporis lapso, usquedum nova Olea non habentur, infantes ungendi sunt Oleis anno praecedenti consecratis (decr. 2773 et 3092), qui post novorum receptionem baptizabuntur, his novis ungentur.

Redeuntes ad Canonem 773 Codicis I. C., adnotandum est quod si proprius locus administrandi baptismi solemnis est baptisterium, tamen relinquitur a decreto S. R. C. 3695 ad 1, prudenti arbitrio Episcopi baptismum parochis administrare extra Fontem et ad aliquod ecclesiae

altare festive paratum et ornatum, quod alicui Sancto (vel titulo B. V.) dedicatum est, qui peculiari devotione colitur. Pluribus in locis hanc consuetudinem invenimus servatam pro infante qui primus de novo Fonte baptizatur.

Ad solemnitatem confert sonus campanarum: adhibentur a baptizante duo pluvialia, violaceum et album super superpelliceum et respondens stola: erigitur, in media ecclesia vel apud balaustrium altaris maioris, mensa ad modum altaris, cum imagine S. Ioannis Dominum baptizantis, vel cruce (minus propria), ornata floribus et duabus saltem candelis: in hac mensa, vel apud eam, omnia parata sunt ad baptismum necessaria: aqua baptismalis e Fonte hausta in suo cochleari parata est, et pelvis sat ampla pro recipienda aqua postea in sacrarium refundenda invenitur.

Aliis in locis invenimus consuetudinem, a decreto supracitato adprobatam, servatam pro filiis insignium paroeciae incolarum; at certe non adprobanda est haec consuetudo, si omnia parentur super mensam altaris, decet enim ut ibidem erigatur apud altare peculiaris mensa ut supra.

Sunt ritualia diocesana Romae approbata, quae non solum permittunt, ut tempore magni frigoris baptismus conferatur in sacristia calefacta, sed etiam ubi eiusmodi sacristia non habetur, in loco decenti aedium parochialium (cfr. Noldin, *Summa Th. Mor.*, vol. 3, n. 81).

Ad hoc referri potest Canon 775 Codicis I. C.: *Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure Fontis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo accedere aut transferri nequeat, Baptismus sollemnis a parocho*

conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali Fonte careat. Hoc in casu, aqua, haurienda de Fonte, in ampulla vitrea sed solida vel ex alluminio aut alio metallo innocuo, deferenda est: omnia quae necessaria sunt ad baptismum solemnem secum fert sacerdos; in ecclesia vel oratorio mensa ad hoc preparatur, decentiori modo, apud ianuam vel apud altare aliquod, aut etiam in ipsa sacristia, quae aliquo modo participat sanctitatem ecclesiae, nam non videtur hic adesse eadem incongruentia quae habetur in ecclesiis Fontem habentibus, pro quibus requiritur rationabilis causa ab Episcopo approbanda (dec. 3194).

CAN. 776.

§ 1. *In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis:*

§ 1. *Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti idrite poposcerint;*

§ 2. *Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.*

§ 2. *In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta.*

" Usus ille pervulgatus infantem in domo baptizandi, ait cl. Capellmann (o. c.) a protestantibus introductus est, et id ipsum fortasse est, cur tanto indignationis et affectationis impetu defendatur ".

" Consuetudo domi baptizandi infantes, sive nobilium et divitum sive omnium legitime parientium, quae nonnullis

locis invaluit, nequit unquam fieri legitima, ait cl. Noldin (o. c.). Ubi tamen sine offensione et scandalo simul et semel abrogari nequit, caute et prudenter curandum est, ut paulatim modus ab Ecclesia praescriptus introducatur, iuxta Concilium provinciale Viennen et Pragen „.

Ut ex allatis locis eruitur, in centrali Europa profecto Rubricae Ritualis parum servabantur: vidimus tamen in commentario Canonis 759 hoc etiam aliarum nationum commune esse, et praxeos assertores seu saltem remissivos iudices inveniri in ipsis auctoribus liturgicis et moralistis.

Canon iste concedit id quod concedebatur a Rituali pro filiis regum ecc., sed restringit et ampliat: restringit quia hic honos tantum conceditur familiis regum, qui *actu* tenent principatum, non ergo regum qui politicis eventibus exsilierunt de throno, quaevis sit opinio Ecclesiae circa moralitatem horum eventuum; circa "magnorum principum „ vocem, eam restringit ad habentes ius successionis ad thronum, non ampliat ad alios cum regia familia dominante vinculis carnalibus non ita alligatos. Ampliat quia honorem concedit etiam iis qui, non regia potestate, sed supremum, quoquo vocabulo appellentur, regimen populorum alicuius nationis tenent, etsi ad tempus, ut evenit in pluribus modernis nationibus quae, loco regis, praesidem eligunt.

In Codicem iuris referuntur decretum S. C. Concilii 20 ianuarii 1894 et decretum S. C. de Sacramentis 23 decembris 1912, quod postremum tollit omnem anxietatem iis in adiunctis in quibus baptismus conferri haud facile in ecclesia possibile sit. Causae praecipuae quae movere possunt Ordinarium ad concedendam licentiam

domi baptizandi solemniter cum omnibus caeremoniis hae censendae sunt:

a) si baptizandus sit infirmus, non tamen in periculo imminentis mortis, et praevideatur numquam posse ad ecclesiam deferri;

b) si pater renuat baptizare infantem in ecclesia et impio dilemmate urgeat: "aut domi aut nullibi „;

c) si grave damnum timeant parentes a sectariis, quibuscum relationes oeconomicas habent;

d) ob periculum permanens infamiae parentum.

Aliae causae esse possunt, sed cum satis iis consultum sit per Canonem 775, Ordinarius prudentiori iudicio facultatem concedet.

Circa ea quae servanda sunt in hac administratione, Canon sequitur normam traditam a S. R. C. per decretum 17 ianuarii 1914 in Bellunen., idest administrari debet baptismus cum omnibus caeremoniis Ritualis Romani. In deficentia sacelli seu oratorii disponi debet, in decenti cubiculo, aliqua mensa, cum luminibus et devota imagine, ut aliquo modo locus sacer videatur, et secum ferre debet sacerdos, una cum sacris Oleis, etiam aquam baptismalem de Fonte haustam, et omnia quae in solemni administratione requiruntur, si dubitet an ea in peculiari illa domo in promptu sint.

TITULUS II.

DE CONFIRMATIONE

CAN. 780.

Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

Impositio manus de qua agitur non est illa quae fit ab Episcopo super confirmandos in principio ritus dum recitat orationem *Omnipotens:* haec prima non est essentialis, nam graeci hunc ritum non habent et tamen validum est sacramentum ab ipsis collatum: et quamvis confirmandi, quantum fieri potest, ad primam manus impositionem adesse (neque ante benedictionem recedere) debeant, tamen non est id necessarium vi praecepti, ut docet decretum S. C. de Prop. Fide, 6 augusti 1840 (Coll. P. F. n. 663), quae declaravit, non esse repetendam sub condicione confirmationem fidelibus qui eam susceperunt, omissa prima manuum impositione. Essentialis vero est impositio manus quae ab unctione non est distincta. Et adverte, dum nonnulli theologi tuentur materiam proximam Sacramenti consistere *in sola manuum impositione* et amandant chrismationem ad ritus accidentales (sententia in Constit. *Ex quo primum* Benedicti XIV allata inter eas " circa quas unicuique licet eam sequi partem quae

magis ipsi placuerit „), Pontificale Romanum de ea in suis rubricis verbum non facere : nam eo ipso quod Episcopus manu sua ungens tangit confirmandum, ei manum imponere censetur (Noldin, Th. Mor. *De Sacram.*, 87, n. 4).

At Benedictus XIII, qui novam editionem Pontificalis curavit (sine ulla rubricarum mutatione ob summan reverentiam erga textum primigenium), anno 1725 seiunctim edidit ritus baptismi et confirmationis et rubricam de novo condidit circa confirmationis sacramentum, ut nulla in posterum et in praxi suboriretur anxietas. Adiunxit igitur post verba : *Signo te signo crucis,* novam explicationem : " et dum hoc dicit, imposita eadem manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis„.

Guéranger in adnotationibus ad commentarium Catalani advertit : " Forsan non abs re hic erit commendatio ritus a Benedicto XIII praescripti in actu chrismationis, scilicet ut Episcopus crucis signum in fronte confirmandi efformando cum sacro chrismate, dexteram qua signat, super caput eiusdem imponat, unico actu impressionem sacri olei cum manus impositione coniungens. Licet enim nova illa rubrica in recentibus Pontificalis Romani editionibus non admissa fuerit, ob reverentiam textus liturgici cuius tenori non leviter addendum est, attamen haec praxis quae nullo modo litterae Pontificalis adversatur, fautorem et assertorem habet Pontificem Maximum in sacris ritibus versatissimum, qui illam auctoritate apostolica confirmavit (Tit. I, *de Confirm.* § XIV in fine) „.

Impositio manuum legitur in Actibus Apostolorum adhibita ab ipsis Apostolis ad conferendum Spiritum Sanctum (VIII, 17–XIX, 6) : unctio vero, iuxta s. Ambrosium et s. Anselmum ac theologos, necessaria iu-

dicatur ex verbis s. Pauli : " Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos, Deus ; qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus (II Cor. I, 21-22) „.

Chrisma, quod a traditione, a concilio florentino (*Decr. in Sacram.*) et tridentino (Sess. VII, *De Confirm.*, can. 2) requiritur ut materia essentialis, omnes norunt esse mixtum compositum ex oleo et balsamo : ideoque canon de hac compositione seu mixtura non loquitur ; quamvis ex historia et veteribus documentis doceamur usque ad quintum saeculum chrisma vocari simpliciter oleum olivarum (quod solum est et dicitur simpliciter oleum), speciali benedictione pro confirmatione consecratum, quin balsamum admisceretur. De quaestionibus theologicis videtur nullam voluisse declarationem hac in re Codex iuris canonici exhibere. Proinde declaratio Innocentii III, non esse iterandam confirmationem, si administrata fuerit cum oleo sine balsamo (Cf. Dölger, S. 192, f.), vim adhuc tenet. Si, ut traditio et Pontificale requirunt, oleo admisceatur balsamum, hoc esse potest cuiusvis speciei seu regionis, sufficit ut in consecratione oleum spargat odorem balsami, et non est necesse ut misceatur singulis olei partibus.

Unctio fieri debet *in fronte*, ait canon, ut iam a Pontificali, a decreto Eugenii IV ad Armenos, a praxi communi et antiquissima ecclesiae graecae et latinae statutum est : quare haec conditio reputatur essentialis.

Unctio fit *ad modum crucis* (canon silet), quod videtur requiri ut verificetur forma : *Signo te signo crucis...* quae alias vera non esset.

Canones huius tituli non loquuntur de confirmatione

in extremis administranda; et recte, nam *per se* non exsistit obligatio *gravis* suscipiendi confirmationem, et non facile haberi potest Episcopus qui eam administret. Attamen, certum est in extremis seu periculo mortis et in occasione alicuius morbi epidemici vel contagiosi, Episcopum uti posse ritu breviori, nempe adhibere materiam et formam tantum, et proinde iuxta canonem, quem commentati sumus, essentialia proferre.

CAN. 781.

§ 1. *Chrisma in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur.*

§ 2. *Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita.*

Habemus propositionem, tamquam temerariam et errori proximam damnatam, quae sonat " sacramentum extremae unctionis, oleo episcopali benedictione non consecrato, valide ministrari posse „, et ex hoc deducitur id a fortiori valere de confirmatione (cfr. decr. S. Off. 13 ian. 1655 et 14 sept. 1842 apud Denz. n. 1494 seqq.); siquidem oleum extremae unctionis a graecis presbyteris valide benedici constat, dum chrisma confirmationis numquam nisi benedictum ab Episcopo adhibetur. Quidquid sit de disputatione theologica (Cf. Bened. XIV *De Synodo*, l. VII, c. 3, n. 1 seqq.), in praxi S. Sedes, quoties presbyteris largitur facultatem administrandi confirmationem, semper addit condicionem: *chrismate ab Episcopo confecto :* et Codex iuris canonici hanc praxim in legem convertit.

Cum ab apostolica traditione et a iure (can. 780) ad valorem sacramenti requiratur aliqualis manus impositio (quae non fieret quum diverso medio, a pollice vel manu, confirmandi frons oleo liniretur) in confirmatione, etiam tempore pestis, Episcopus (vel sacerdos, ut supra) uti nequit pennicillo aut alio instrumento. Verbis " ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita „ canon hic, manifesto, suam facit rubricam Benedicti XIII, quam supra commentati sumus; nam non acquiescit in simplici rubrica Pontificalis et in opinione theologorum, quae in simplici unctione frontis vident et impositionem manus, sed requirit *capiti* superimpositionem, eo modo qui a Benedicto XIII describitur.

CAPUT I.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Can. 783

§ 1. *Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio.*

§ 2. *In aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra.*

Iuxta vetus ius, Episcopus, ex recepta consuetudine et tacito Ordinariorum consensu, in propria dioecesi licite poterat hoc sacramento munire non tantum loci incolas sed peregrinos seu advenas ad se accedentes. At extra proprium territorium, nisi consensus Ordinarii loci acce

deret, nec alienos nec suos subditos confirmare poterat, et haec licentia *expressa* esse debebat sub poena suspensionis Episcopo irrogata a Concilio Tridentino, etiamsi de propriis subditis ageretur (Sess. 6, de ref. c. 5), cum administratio confirmationis sit functio pontificalis.

Nunc vero, quod ex consuetudine fiebat, e lege fit in administratione huius sacramenti extraneis in propria dioecesi; tantum ius alterius Ordinarii sartum tectum est, prohibendi scilicet huiusmodi suorum subditorum transmigrationem pro recipiendo sacramento ab alieno Pastore.

Haud dubie Praesul in messem alienam manus non mittet, et proinde ius admittit consensum praesumptum Ordinarii, si Episcopo extra proprium territorium occasio praebeatur confirmandi; rationes validae profecto extare debent si talem facultatem sumit! Sed pro suis subditis nitidior est facultas, etsi degat extra dioecesim; hos, sine tamen pompa, libere confirmare potest.

At adverte: si Praesul *expressam* licentiam habuerit, et suos et alienos, etiam in aliena dioecesi, confirmare potest cum propriis pontificalibus insignibus, ut concedit can. 337: si hanc licentiam non habuerit, ut docet hic canon 783, pro suis nequit uti baculo et mitra neque in privato proprio (si habet) sacello: pro alienis vero uti ne potest pontificalibus insignibus? Videtur affirmandum: nam per canonem 337 § 1, si rationabiliter praesumitur consensus Ordinarii loci, Episcopus extra dioecesim pontificalia potest exercere, quae pontificalia a § 2 esse dicuntur illae functiones sacrae " quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram „.

Ut proinde clarior Episcopi extra suum territorium

degentis evadat conditio, ne videatur cum suis pontifi-calia non posse exercere, posse vero cum alienis, ita canon 783 § 2 explicandus est: Ordinarius loci nequi Episcopo in sua dioecesi ad tempus degenti prohiber quin proprios subditos confirmet, et Praesul, hoc in casu cum ipsi constet de reluctantia Ordinarii loci, eos con-firmabit privatim: si autem ex familiaritate et frequent relatione cum Ordinario perspectum habet omnia qua a se fiunt bene visa esse Ordinario, et suos et alieno potest munire hoc sacramento pontificaliter, si occasi praebeatur.

CAN. 785 § 1.

Episcopus obligatione tenetur sacramentum hoc sub-ditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis.

Canon hic, § 3, Ordinario mandat ut saltem *intr quodlibet quinquennium* provideat suis subditis commodum recipiendi confirmationis sacramentum, quod profect fieri nequit nisi Episcopus, seu presbyter privilegio apo stolico donatus, peragret territorium proprium vel i proprio territorio alium Episcopum admittat ut hui necessitati provideat. Solvit canon disputationem theolo gorum circa tempus obligationis, ita ut sub gravi tenea tur Ordinarius (et si neglexerit a Metropolita deferatu ad Romanum Pontificem) quolibet quinquennio circumi dioecesim, saltem per loca praecipua, ut opportunitate praebeat recipiendi hoc sacramentum. Ex communi tame sententia non tenetur confirmare moribundos etiam pe tentes, quia hoc incommodo gravi non caret, si (u aequum est) pauperibus aeque ac divitibus idem officiu praestatur: " si id cui faciet, alteri neget, ratio scanda

erit; si vero omnibus satisfacere velit, grave onus ipsi imponeretur (Lehmkuhl, n. 100) „; quapropter Codex ne verbum quidem habet de hac obligatione.

Neque obligatur Episcopus ministrare confirmationem grassante peste vel alio epidemico et contagioso morbo, Scimus, anno 1884, concessam fuisse Archiepiscopo neapolitano a S. Sede facultatem delegandi sacerdotes qui hoc sacramentum ministrarent morbo asiatico affectis, at nullibi talis obligatio obstringit.

Verum non possumus hic omittere, quae tradit Benedictus XIV in suo eximio opere *De synodo* (L. XIII, c. 19, passim): " Frequens esse potest casus eorum, qui, saeviente peste, eaque correpti, sacro Chrismate inungi se flagitent. Cum pestis maiore vi in Mediolanenses grassabatur, hac ipsa in re sanctus Carolus Borromaeus insigniora exhibuit caritatis exempla: quemadmodum legere est in illius vita a Giussano descripta, lib. 4, capo 8: *Noverat, plures in populo esse nondum sacro Chrismate inunctos, quo fidelium animos ad sustinenda praeceptorum onera post Baptismum confirmari, Catholica Religio docet. Et, quamquam probe sciret eius Sacramenti vim inter necessaria ad salutem remedia minime numerari; omnia tamen ex amore potius, quam necessitate metienti, durum videbatur tot hominum millia caelesti hoc auxilio immunita relinqui.*

" Pergit Giussanus, ingenueque refert, dum id a sancto Archiepiscopo intra urbem peragebatur, vix ullum fuisse periculum, ne ipse peste inficeretur, ob eximiam magistratuum vigilantiam, qui neminem peste correptum intra urbis moenia detineri patiebantur; verum eumdem voluisse his etiam sacramentum confirmationis impertiri

qui extra urbem detinebantur, nec eos praetermisisse, qui manifesto morbo laborabant: adeo ut ex ipsis nonnulli, recepto sacramento, statim occubuerint.... (n. 5). Heroicum hoc s. Caroli factum flagrantis eiusdem caritatis illustre est argumentum. At, cum confirmatio non sit sacramentum omnino et absolute ad aeternam salutem necessarium, difficile erit tueri, Episcopum obstringi ad illum peste laborantibus administrandum, etiam cum proximo vitae suae periculo.... (n. 6). Ioannes Chapeaville, archidiaconus, canonicus et vicarius leodiensis, integrum edidit tractatum de necessitate et modo ministrandi sacramenta tempore pestis...., in eoque nihil plane attigit de confirmationis sacramento per Episcopum ministrando. Verum, si quem unquam Episcopum, laudabile studium incenderet sectandi exemplum sancti Caroli Borromaei, sacroque Chrismate confirmandi suos dioecesanos peste laborantes, vix ulli cautelae praescribendae, adhibendaeque locus fore videtur: *perbrevis namque est actio, quoties ad certum aliquot personarum numerum confirmandum redigatur;* nec quidquam est, quod resecari valeat, vel ad ipsam actionem breviorem efficiendam vel ad avertendum a ministro, quantum fieri potest, imbibendae pestis periculum.... (n. 12).

" In toto sacrae huius actionis decursu nil aliud reperire est quod ad eam contrahendam, arcendumque ab Antistite contagionis periculum omitti possit, praeter ritum illum percutiendi cuiuslibet confirmati genam.... Latet adhuc, quo tempore primum inoleverit huiusmodi caeremonia, quae, cum ad essentiam et validitatem sacramenti non pertineat *praetermitti sane posset: sicuti etiam, ad se celerius expediendum, Episcopus missas facere*

posset postremas illas preces, quae, collato iam sacramento, recitantur.

" At, quae unquam cautio esset haec ? quamque sibi maiorem securitatem, si illa uteretur, Episcopus polliceri posset ? Fortasse, ea adhibita, nil aliud consequeretur, quam ut ab iis, qui adessent, improbaretur, et parum religiosus Praesul existimaretur (n. 14) „.

Aliunde contactus cum morbo affecto habetur etiam in chrismatione, quae, ut supra diximus, essentiale est necessitate sacramenti ut fiat immediate seu digito Episcopi non vero aliquo instrumento.

Quisquis videt commentarium huius canonis 785 eo deductum esse non ad significandum officium Praesulis tempore pestilentiae, sed quid in praxi, si caritas erga proximum ei suadeat exercitium tam heroicae virtutis, agendum sit in administratione confirmationis.

Concludendum tamen est, Episcopum non teneri ad omnia quae a Pontificali praescribuntur, sed tantum ad essentialia quae a can. 780 enumerantur.

CAPUT II

DE SUBIECTO CONFIRMATIONIS.

Can. 788.

Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur.

Usque ad saeculum XIII, licet nonnihil remitti coe-

pisset, etiam in Ecclesia latina (ut demonstrat *Martène* t. I, l. I, c. 2, a. 1, n. 3) disciplina vigebat confirmand infantes statim post baptismum. Huius disciplinae adhuc extat monumentum apud Pontificale Romanum, quod ait "*Infantes* per patrinos ante Pontificem confirmare volen tem teneantur in brachiis dextris „. Diversam in hac re utriusque Ecclesiae Orientalis et Latinae, quae hodie vi get, disciplinam P. Drovet considerans (*De re sacram*, t. 2, q. 9) inquit: " Habent suae consuetudinis idoneas causas Graeci, habent et suae Latini. Illi, subiecti magis quam sacramenti respectum habentes, voluerunt statim confirmationem post baptismum conferri, ut nimirum quidquid gratiae poterant promptius neophytis procu rarent: isti decori magis ac dignitati sacramenti, quam exigentiae fidelium consulentes, eousque differendum sta tuerunt, donec instructionis capaces essent, et possent divini beneficii pretium pro meritis aestimare „.

Codex receptam consuetudinem Ecclesiae latinae con firmat, at iuxta pariter antiquam consuetudinem concedi ut sacro Chrismate inungi possint pueri ante septennium cum versantur in discrimine vitae, aut praevideatur diu tina Episcopi absentia, vel alia urgeat necessitas seu iusta causa. Ad rem Benedictus XIV (*De syn.*, l. 7, c. X. n. 8 docet: " Si Episcopus in suis constitutionibus diceret, pa ratum se esse ad conferendum sacramentum confirma tionis pueris et infantibus baptizatis, sed constitutis i mortis periculo; aut iuberet, ut sibi, sacramentum con firmationis ministraturo, in hoc, aut illo loco suae dioe cesis, exhibeantur pueri et infantes, cum facilis ad eo in posterum sibi non sit futurus accessus vel propte sui ingravescentem aetatem, vel propter eorum distantia

a civitate, aut propter itineris difficultatem ; nihil profecto in huiusmodi constitutionibus videretur reprehendendum„.

De administratione huius sacramenti pueris positis in vitae discrimine locuti sumus in commentario can. 785. Quod si Episcopus non tenetur roborare hoc sacramento infantes vel pueros qui nequeunt ob morbum coram eo sistere, tamen si metuendum sit ne alias sine hoc sacramento vita decedant, " cum sacram visitationem obit, eos praeterire regulariter nec oportet, nec expedit (D'Annibale, *Theol. Mor.*, p. 3, ed. 1908, pag. 249, in nota„).

In administratione confirmationis *domi* facienda tenetur Episcopus, si periculum mortis non sit imminens, ad omnia servanda quae a Pontificali praescribuntur circa preces et caeremonias, sed confirmare potest absque mitra et baculo pastorali, adhibita tantum stola super rocheto, ut eruitur ex decr. S. Officii, 12 februarii 1851.

CAN. 789.

Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant.

Quamvis manuum impositio seu extensio super confirmandos, quae in principio sacri ritus habetur, et benedictio, quae in fine datur, non requirantur ex necessitate sacramenti, tamen ex praecepto Ecclesiae adesse tenentur confirmandi iuxta hunc Canonem, qui habet ut praeceptiva verba quibus utitur Pontificale Romanum ad hanc obligationem inducendam. Proinde auctores, qui tuebantur necessariam non esse *vi praecepti* praesentiam confirmandorum, sed tantum, quantum fieri potest, monendos ut adsint (cfr. *Noldin*, l. c. a. 87, n. 4, in nota), post huius Canonis promulgationem, liberam usque modo opinionem defendere nequeunt.

Praxis vero, quae in pluribus dioecesibus viget, ianuas ecclesiae claudendi a principio ritus et non aperiendi nisi hoc expleto, adprobationem liturgicorum habet, sed reprobatur a pluribus quia incommodis non caret si functio protrahitur supra horam, quod evenire solet praecipue quando a pluribus annis in eo loco confirmatio non administratur. Optime consulent huic incommodo Episcopi si parati se praebeant, iuxta numerum confirmandorum, ad administrationem s. confirmationis horis distinctis: ratio habenda est non tantum temporis quo Episcopus cum clero in ecclesia manet pro explendo ritu, sed etiam temporis necessarii pro ordinandis in suis scamnis singulis confirmandis.

CAPUT III.

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE.

CAN. 790.

Hoc sacramentum quovis tempore conferri potest, maxime autem decet illud administrare in hebdomada Pentecostes.

Iuxta antiquam consuetudinem, Codex (can. 772) docuit opportunum tempus pro administratione baptismi adultorum, si fieri commode queat, esse in pervigilio Paschae et Pentecostes: hoc canone pariter consilium dat circa confirmationis tempus, hebdomadam illam indicans in qua peculiariter adventus Spiritus Paracliti recolitur, cuius Spiritus infusio super confirmandos invocatur, et cuius Spiritu roborati fideles ad subeundam pro Christi fide pugnam apti redduntur.

Interpretatio canonis haec est: " Confirmationem libere Episcopus pro suo libitu et commodo per annum administret, at caveat ne dum pluries per annum hoc sacramentum administrat, eam hebdomadam negligat quae, iuxta Ecclesiae placitum, opportunior videtur „.

CAN. 791.

Licet proprius confirmationis administrandae locus ecclesia sit, ex causa tamen, quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri.

Pontificale Romanum, in calce ritus confirmationis, hanc rubricam ponit: " Hoc sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi „. Patet in casu necessitatis, ex. gr. si pueri acgrotantes ad ecclesiam accedere nequeant, haberi iustam et rationabilem causam pro administratione extra ecclesiam. Concilium Beneventanum, anno 1375, hac in re adnotat: " Confirmatio fieri potest in domo vel in campo „: vidimus S. Carolum administrantem confirmationem ad cancellos laemocomii. At etiam extra hunc necessitatis casum, aliqua causa excusans ab administratione in ecclesia vix aberit.

Ordo romanus hittorpianus antiquum ritum confirmationis statim post baptismum referens haec habet: " Pontifex vero egreditur a fonte *in sacrarium*, habens ibi compositam sedem... et sedeat in ea, et cum vestiti fuerint infantes confirmet eos„. Sacramentarium gregorianum sacrarium tamquam locum indicat pro confirmatione proprium: "Pontifex vero redit *in sacrarium*, expectans, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos „. In praecipuis civitatibus, etsi rarius, eodem modo quo pro bap-

tismo, peculiaris sacra aedes erecta habebatur etiam pro confirmatione; sive in ipso baptisterio, sive in ecclesia, aula aedificabatur quae *Consignatorium* appellabatur. Et hodiedum apud nonnullas episcopales aedes aula ad hoc assignata invenitur pro confirmatione quam statis diebus minus solemniter Episcopus administrat.

CAPUT IV.

DE PATRINIS.

CAN. 795.

Ut quis sit patrinus, oportet.... 5° *Confirmandum in ipso confirmationibus actu per se vel per procuratorem physice tangat.*

Ne immoremur supra modum in explanatione Canonum huius capitis, illum seligimus qui propius sacram Liturgiam spectat. Pontificale Romanum, ut supra notavimus, mandat ut infantes patrini teneant in brachiis dexteris; adulti vero confirmandi pedem ponere debent super pedem patrini sui. Sed, iuxta consuetudinem a pluribus saeculis inductam, nunc patrinus manum dexteram ponit super humerum dexterum confirmandi, quae consuetudo a S. R. C. adprobatur (decr. 20 sept 1749, n. 2404).

Codex non loquitur de ieiunio servando, nec de linteolo circa frontem confirmati, quae late in desuetudinem abierunt. Vigent tamen decreta S. R. C. 2385 et 3582 ad 3, quorum primum facultatem Episcopo tradit, observantiam caeremoniae candelae *accensae* urgendi, utpote ab Ecclesia receptae fidei protestativae et meritoriae: alterum quo servanda dicitur consuetudo recitandi ab Episcopo simul et ab adstantibus *Credo*, *Pater* et *Ave*.

TITULUS III.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

CAPUT I

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO

ART. I. — *De sacerdote Missae sacrificium celebrante.*

CAN. 803.

Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missa ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis Episcoporum secundum Pontificale Romanum.

De antiquo concelebrandi more innumera monumenta habentur. Constitutiones Apostolorum (lib. II et VIII), Concilium Nicaenum (can. 18), primum Toletanum (can. 5), S. Athanasius (II Ap. pro fuga), Amalarius (lib. I., c. 12), Innocentius III (De myst. M. lib. IV. c. 25) etc. testificantur circa ritum concelebrationis in praecipuis solemnitatibus vigentem in Ecclesia Latina. Aliunde satis abunde in historia Liturgiae demonstratur simplicem presbyterum, prioribus Ecclesiae saeculis, nullam habuisse super diaconos praestantiam nisi ob officium concelebrandi cum Episcopo in potioribus rerum adiunctis vel surrogandi Episcopum absentem aut impeditum, et tantum serius inceptam fuisse celebrationem seiunctim ab Episcopo.

Summus Pontifex una cum presbyteris Cardinalibus sacrosanctum Missae sacrificium non raro offerebat: et Episcopi, pro communionis signo, cum sese mutuo visitarent una simul litabant (Krazer–De Apost. ant. Lit., ed. 1786 pag. 187). Durandus (de Mende, qui circa annum 1260 vixit, de concelebratione agit perinde ac de ritu recenter obsoleto (in IV, dist. q. 3).

Guillois, in sua catechismi explicatione (p. IV, lect. 8), edocet postrema hac aetate apud nonnullas ecclesias Galliae morem viguisse offerendi, in feria V Coenae Domini, a duobus presbyteris una cum Episcopo, super eadem altaris mensa, eucharisticum sacrificium.

Concelebratio adhuc viget apud graecos et etiam apud maronitas, cum eorum Patriarcha solemniter celebrat. Cum dici nequeat a can. 803 agi de iis quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem Ecclesiam afficiunt (can. 1) hic mos non reprobatur.

Duos casus tantum excipit Codex I. C. pro licita concelebratione in Ecclesia Latina: ordinationem presbyterorum et Episcoporum consecrationem. Neopresbyteri concelebrationem incipiunt ab oblatione panis, idest ab oratione *Suscipe, sancte Pater*, nam eatenus ordinationem sacerdotalem, non receperunt, communicant de manu Episcopi non ex eadem Hostia, sed ex particulis disiuncte consecratis, non participant de Calice.

Neoepiscopi magis intime concelebrant; cum Episcopo consecrante Missam incipiunt, cum eodem verba consecrationis proferunt et sub duplici specie, ex eadem Hostia et ex eodem Calice communicant.

Etiam in benedictione Abbatum habetur quaedam concelebratio, at Missa Abbatis est imperfecta, quippe

quae careat a parte Abbatis formulis consecratoriis, quae tantum ab Episcopo pronunciantur: Episcopus unam pro Abbate particulam consecrat et sub unica specie eum communicat.

Recte ergo Codex silet de hac postrema concelebratione.

CAN. 804

agit de sacerdote extraneo admittendo ad Missae celebrationem, qui litteras commendatitias sui Ordinarii seu Superioris religiosi exhibere debet, quae necessario non requiruntur si rectori sit notus. Si iis careat et ecclesiae rectori sit ignotus, semel vel bis tantum admitti potest: requiritur tamen ut nihil ex celebratione ab ecclesia, in qua litat, quovis titulo percipiat et *ecclesiastica veste sit indutus*..

Cum autem in nonnullis nationibus vestis ecclesiastica, quae talaris dicitur, extra ecclesiam vetetur, et cum talaris vestis non exclusive dicatur habitus ecclesiasticus (cfr. canon. 136), locutio huius canonis accipienda est ut sonat, nempe necesse est ut saltem ex habitus forma demonstret extraneus se esse sacerdotem. Antequam tamen indumenta missalia extraneus induat, utique servandum est praescriptum can. 811, quod requirit vestem convenientem quae ad talos pertingat, quae vestis servari debet in qualibet sacristia, saltem ecclesiarum apud quas frequens est celebrantium concursus. Luctuosissimis postremis hisce annis, maxime dolendum erat, presbyteros militiae adscriptos ad celebrationem admissos etiam in observantioribus ecclesiis videre, absque veste talari, quamvis locorum Ordinarii et castrensis Episcopus in Italia saepe saepius observantiam huius canonis et can.

811 urgerent. Veniam daturi praesertim rectoribus ecclesiarum ruralium dioeceseon lineis praelii proximarum, qui in unica ecclesia plurimis, in eadem fere hora, concedere debebant solicitam Missae celebrationem, tantum instamus ut omnes sacristiae habeant saltem unam vestem talarem nigri coloris, manicis carentem et ita longam ut per ligamenta circa corpus aptari omnibus queat: haec est satis et a Synodis praescribitur et admittitur.

CAN. 805

mandat Episcopis et Superioribus religiosis ut curent a propriis sacerdotibus Missae celebrationem saltem diebus dominicis aliisque festis de praecepto, iuxta Conc. Tridentinum (Sess. 23, c. 14 de ref.) quod eadem decrevit. Parochi tamen animarum curam habentes iuxta can. 466, etiam in festis suppressis obligantur: pro ceteris optandum est ut huius canonis non fiat locus sanctioni: et omnes quotidie litent, ut par est, nisi impedimentum physicum vel morale obstet.

CAN. 806.

§ 1. *Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.*

§ 2. *Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere*

Quae observanda veniunt in canonem hunc satis superque nota sunt, attamen liceat agi de iis.

Ex historia Missae, quae fuerit consuetudo praesertim alti medii aevi circa numerum Missarum celebrandarum, compertum est: privata devotio tum Pontificum, tum saecularium et religiosorum presbyterorum norma erat; non bis vel ter, sed et novies in die celebrabatur: Sacramentaria formularia pro his Missis exhibent copiosa: agebatur plerumque de Missis votivis singulis rerum adiunctis accommodatis. Walafridus Strabo anceps est: pluries celebrantes monet ne aestiment proprias preces nihil valere nisi recurrant ad multiplicem celebrationem, semel celebrantes ne id agant ductos a levitate plus quam a devotione.

Alexander II, saec. XI, sufficere statuit unicam celebrationem et mandavit ut ab omnibus semel celebraretur (canon *Sufficit*, de consecr. dist. I): quod Innocentius III (cap. *Consuluisti*) et Honorius III (cap. *Te referente*) confirmaverunt statuentes ut tantum die Nativitatis Domini ter litare unusquisque sacerdos possit. Iuxta Gavantum (p. IV, tit. 2, n. 4): " in die Nativitatis Domini tres Missae celebrantur, ex decreto Telesphori, propter tres Christi nativitates, aeternam ex Patre, temporalem ex matre, et spiritualem in animas omnium fidelium „ ; at symbolismus a s. Thoma propositus videtur non fuisse ratio huius institutionis et non ita certa eiusdem est origo ut Telesphoro tribuatur, tamen de hoc firmato more s. Gregorius M. loquitur in homilia diei, quae etiamnunc legitur in Romano Breviario. Missa, media nocte, vel potius *ad galli cantum*, in ecclesia romana celebrari coepit circa a. 500: tempore s. Gregorii, secunda Missa in honorem

s. Anastasiae celebrabatur; serius, haec secunda facta est Nativitatis Missa, cum commemoratione huius sanctae: gelasianum et gregorianum Sacramentaria tres Missas exhibent; gallicanum vetus incompletum est, at collectas praebet *ad initium noctis, in media nocte natalis:* missale gothicum unicam tantum Missam tradit et videtur mozarabica liturgia conformis esse huic postremae praxi semel celebrandi.

In regno Aragoniae pervetusta consuetudo erat bis celebrandi die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et ter a regularibus eiusdem regni ex orali concessione Iulii II. Benedictus XIV, annuens precibus Ferdinandi VI regis Hispaniae et Ioannis V regis Lusitaniae, facultatem tribuit omnibus sacerdotibus ter litandi in universis illis regnis die comm. OO. FF. DD.: quod privilegium Benedictus XV, nuperrime, ad totam Ecclesiam extendit, iuxta pervulgatam Constit. " Incruentum „ diei X augusti 1915.

Innocentius III per decretum " Nisi causa necessitatis suadeat „ admittit celebrationem plurium Missarum eodem die. Auctores faciles se praebebant ad concedendam binationem. Iuxta nunnullos, causa necessitatis erant: ne defunctus careat Missa in die depositionis; ne princeps vel persona in dignitate constituta die festo auditionem Missae omittat; ne matrimonium contrahatur absque benedictione in Missa necessario impertienda; ne moribundus careat viatico. Suarez tres casus adiungit qui rationem petunt a maiori populi commodo adsistendi sacro in festis de praecepto. Merito respuuntur primi generis fictitia incommoda et iuxta can. 806 I. C. tantum necessitas populi, cuius notabilis pars aliter careret die festivo Missa, admittitur pro binatione.

Requiritur enim, iuxta praesentem disciplinam, necessitas spiritualis fidelium et paucitas sacerdotum. Hinc iteratio Missae prohibetur: ob meram consuetudinem (Benedictus XIV, Const. *Declarasti nobis*); diebus festis abrogatis, quibus populus non astringitur ad Sacrum audiendum (S. C. de P. F. 28 sept. 1837); in favorem eorum qui in oratoriis suis privatis praecepto satisfacere velint (Instr. S. C. de P. F. 24 maii 1870, n. 6).

Quamvis can. 806 concedere videatur tantum in festis de praecepto binationem, S. Sedes pro quibusdam festis suppressis, etiam nuperrime, binationem concessit. Equidem canon iste non excludit hanc facultatem, nam § 1 loquitur de apostolico indulto, quod revera, cum Ordinariis ex iure potestas facta sit impertiendi pro diebus festivis facultatem, tantum in casibus exceptione dignis requiritur. Nobis videtur commentarius huius canonis sic statuendus: Episcopi ex iure potestate gaudent, positis ponendis, binationem permittendi seu concedendi diebus dominicis et festivis de praecepto: ad S. C. de Sacramentis spectat concedendi binationem et rationibus quae non a populi obligatione audiendi Sacrum sumuntur et etiam tertiam Missam in die permittendi. Equidem interdum indultum concessum est pro diebus festis in favorem monialium, quae strictae clausurae subiacent (Cfr. Act. S. S., t. 16, p. 37); S. C. C. expresse indulsit ob penuriam sacerdotum, sacerdotibus mexicanae dioecesis ter litare diebus dominicis et festivis (decr. 20 dec. 1879, 29 martii 1896), et nuper etiam dioecesis de Tulaucingo (9 dec. 1899). Novissime militum cappellanis bis in die facta fuit facultas litandi tum in nosocomiis, tum in castris etiam ob unicam militum spiritualem uti-

litatem, nulla facta distinctione inter dies festivos et feriales.

Penes Ordinarium est iudicium de existentia verae necessitatis pro concedenda seu permittenda binatione diebus festivis de praecepto. Noluit enim Apostolica Sedes definire quantus numerus fidelium vel quanta ecclesiarum distantia requiratur ut Missa iterari possit: etenim in hoc ferendo iudicio attendendus est non tantum numerus, qui variare potest ex peculiaribus adiunctis, sed etiam attendi debet ad periculum quod ex mala voluntate hominum oritur, nam casus hypotheticus non est fideles posse quidem ad ecclesias vicinas accedere et reipsa non accedant. Equidem cum facultas binandi ex iure concedatur propter necessitatem populi, non personalis est, sed localis: in unica ecclesia, si necessarium videatur, duo vel tres sacerdotes in festis binare possunt: si vero sacerdos vel sacerdotes quibus facultas concessa est celebrare nequeant, alius sacerdos vel sacerdotes, qui eorum vices suppleant, binare queunt, absque peculiari licentia Ordinarii.

Facultas autem binandi, *ex privilegio* concessa, personalis est, proinde in alium transferri nequit, nisi simul concessa sit facultas subdelegandi: tamen hoc privilegium conceditur tantum ab Apostolica Sede in peculiaribus rerum adiunctis.

Canon non loquitur de casu improviso urgentis necessitatis in quo recursus ad Ordinarium impossibilis est; at si agatur de sacerdote ieiuno praesumitur licentia Ordinarii ad alteram Missam celebrandam quando notabilis populi pars (quam magnam moralistae vocant cum attingat 60 personas) ob inopinatam absentiam alterius sacerdotis aliter sacro careret. Iuxta Instructionem S. C

de P. F- 24 maii 1870, n. 11 " non licet praesumere approbationem Ordinarii „ extra casum plane extraordinarium et repentinum, siquidem tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi, ferre sententiam ad Ordinarium pertinet.

Tamen non amplius videtur sustinenda sententia theologorum, qui innixi Instructioni S. C. de P. F., binationem permittebant cuilibet sacerdoti ad dandum Viaticum morituro: ius binationem coercit ad populi indigentias diebus festivis.

Qui Sacrum iteraturus est, omnino prohibetur quominus ablutiones sumat ; et, si eas sumpserit, ob ieiunium laesum a Sacro iterando abstinere debet, licet populus propterea Sacro carere debeat.

Ritum servandum a sacerdote binante descripsit S. R. C. Instructione 12 septembris 1857, quae in appendice Ritualis invenitur. Desumpta est haec Instructio ex operibus Gavanti et Merati, quorum nomina deleta sunt in editione typica a. s. m. Pii X anno 1913 promulgata (Cfr. S. R. C. Decr. auth., n. 3068).

CANN. 807-808-809

circa dispositionem animae et corporis celebrantis, nempe statum gratiae et ieiunii versantur, postremus circa applicationem sacrificii elementare principium praebet. De his dispositionibus abunde agunt moralistae et Missale : liturgiam tamen indirecte tantum attingunt.

CAN. 810

de praeparatione ad Missam deque gratiis agendis Deo pro beneficio collato post expletum sacrificinm monitum praebet. Utitur verbis imperativis " ne omittat „, at non

urget praeceptum utendi orationibus quae in Missali, pro praeparatione ad Missam et pro gratiarum actione post eamdem, ponuntur : quemquem in sua privata devotione liberum relinquit. Attamen praeparatio et gratiarum actio, non oratione mentali, sed " piis precibus „ constare debent, et manifesto privata devotio, si vera devotio sit appellanda, potius quam privatis, utetur precibus quas mater, sapientior omnium, Ecclesia maximi facit et suis ministris exhibet.

Liberum erit moralistis disceptare de morali obligatione huius canonis et de mortali vel veniali peccato in eius transgressione ; negare tamen nunc nequeunt legem extare quae mandat ut sacerdos *non omittat* etc. Antehac facilem ansam habebant quia inniti tantum poterant locutioni "pro opportunitate sacerdotis celebraturi„ quam exhibebat titulus harum precum, et quia de directivis et praeceptivis, de intra et extra Missam, rubricis communis inter eos (non vero inter liturgicos veri nominis) distinctio ponebatur : nunc vero sententia eorum temperanda videtur, nam canon iste praeceptum ponit et liberam tantum sinit selectionem precum.

Canon non loquitur de lotione manuum, de orationibus dicendis a sacerdote dum paramenta missalia sumit. Moralistae has rubricas mere directivas dicunt, etenim iuxta eos non agitur de praescriptione servanda in ipsa Missae celebratione in sensu presso sumpta ; at vir qui spiritu Domini imbutus sit sperandum est ut subtili hac distinctione non utatur, et cum canon 810 mandet observantiam (saltem quoad substantiam) Rubricae quae ad praeparationem et gratiarum actionem pertinet, nemo ecclesiasticorum, silente iure canonico circa preces di-

cendas in paramentorum vestitione, spernet illas; quinimo ex mandato praeparationis arguet maiorem obligationem servandi Rubricam quae pressius celebrationem respicit.

CAN. 811

§. 1. *Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta.*

§ 2. *Abstineat autem a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorundem usum in Missa celebranda eidem permittat.*

Quoad vestem convenientem sufficiant quae diximus in commentario can. 804. Canon iste de paramentis loquens nullam circa eadem instructionem tradit; quae dicenda forent iam continentur in liturgicis libris cuiusque ritus; et proinde cum canon dirigatur ad omnes ritus et ad omnes personas cuiusvis ritus, iuxta Rubricas peculiarium codicum liturgicorum ac iuxta dignitatem personarum paramenta sumenda sunt. Omnes norunt ex. gr. peculiarem nonnullorum religiosorum Ordinum et Episcoporum etc. morem in vestimentis sacris induendis: ob id ius ad singulas non contendit descriptiones devenire.

De illiceitate usus *pileoli* in celebranda Missa loquitur Missale romanum: et haec prohibitio inducta fuit a S. R. C. cum adprobatione Urbani VIII. Permittitur S. R. E. Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus benedictis, non vero ceteris Praelatis, et eius usus satis innotescit. Qui ob senectutem vel morbum nequit sine notabili incommodo celebrare capite detecto, per modum actus, ut doctores

docent, pileolo uti potest, at si diu incommodum perseveret opus est venia S. Sedis.

Innocentius XI (21 martii 1689) severe prohibuit celebrationem cum *coma ficta*, absque indulto Apostolicae Sedis: attamen hanc prohibitionem contraria consuetudo fere ubique abstulit; defuit enim praecipua ratio quae videtur impulisse Pontificem ad irrogandam poenam suspensionis, nempe indecentia vani ornamenti. Iuxta sententiam Benedicti XIV (Inst. 34, n. 14) nulla generali Ecclesiae lege vetitum est ne deferatur inter celebrandum circulus ex capillis confectus, quo tamen nuda relinquatur pars capitis ubi designatur clericalis tonsura. Quamobrem novus Codex Innocentianam prohibitionem non renovavit (cfr. can. 6, num. 6).

In enumeratione eorum quibus usus *annuli* non vetatur omittuntur Protonotarii Apostolici " de numero „ et Praelati " nullius „.

Notandum etiam venit et de aliis qui usum annuli habent in pontificalibus silentium tenere, at hi censendi sunt inter indulto apostolico praeditos, quorum canon mentionem facit.

Protonotarius " de numero „ iuxta decr. 4154 (Motu pr. A, I, 4) iure utitur annulo gemmato etiam in Missis privatis, at pileolo nigro dumtaxat quando in pontificalibus mitram adhibet (n. 9). Hoc privilegium non videtur ei ademptum; omissa recensio in hoc canone imputanda est vel exiguo numero praelatorum huius almi collegii, vel ambiguitati quae aliter exorta esset cum sub una prohibitione comprehendantur pileolus et annulus, nam pileolus, ut vidimus, in Missae celebratione Protonotariis non competit.

Praelatus " nullius „ iuxta can. 325, quamvis charactere episcopali careat et peculiarem benedictionem non receperit, in omnibus aequiparatur Abbatibus nullius et proinde utitur pileolo violaceo, cruce et annulo gemmatis etiam extra proprium territorium, in proprio territorio cum throno et baldachino ac insignibus omnibus pontificalibus officia divina, pontificali ritu, iure celebrat. At canon 811 loquitur tantum de Abbatibus *benedictis*, non vero de Abbatibus *nullius*, ergo videtur Praelato vel Abbati nullius, qui benedictionem iuxta can. 322 § 2 non receperit, in Missis privatis, pileoli et annuli usus vetitus esse : non succurrit enim aliquod documentum, ut evenit pro Protonotariis de numero.

Ceterum in Missis ritu pontificali celebratis, quamvis ne verbum quidem canones Codicis circa haec habeant, omnes annuli delationem permittunt. Si vero indultum apostolicum succurrat, in Missis etiam privatis usus pileoli et annuli, ut liquido est, legitimus erit (Circa delationem annuli cfr. *Ephem. Lit.* a. XXXII, n. 12, pag. 459).

Can. 812

Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, licet, sola honoris et sollemnitatis causa, habere presbyterum assistentem.

Rubrica est : Solis Episcopis, cum Missam sollemnem celebrant, presbyterum requiri pluviali indutum adstantem : ceteris omnibus prohiberi, nisi cui specialiter a S. Sede sit indultum.

Origo presbyteri assistentis in Missa pontificali videtur, ni fallor, repetenda ab antiquo more concelebrandi, nam, ut omnes norunt, concelebratio nota erat sollemni-

tatis, quae praecipue habebatur cum Episcopus Sacrum perageret. Cum vero concelebratio obsoleverit, assistentia presbyterorum vel saltem unius non defuit Episcopo sollemniter celebranti.

Caeremoniale Episcoporum (lib. I, cap. 7, n. 1) ita disponit et regulam generalem tradit: " Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt et inserviunt, primus et dignior est presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex presbyteris tam canonicis quam dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent, nec refert quo nomine nuncupetur, an archidiaconus, an archipresbyter, ut digne et decenter officium suum exercere valeat et opportune Episcopo rem divinam agenti ministrare possit „; et hoc confirmatum est per decretum S. R. C. n. 2659 in *Bugellen.*

Ita tantummodo Episcopo honor presbyteri assistentis debetur, ut in Apostolica Constitutione Pii IX " super privilegiis Protonotariorum etc. „ (a. 1872) haec legantur: " XV. Item (in Missa solemni)... non in faldistorio sedeant, sed una cum Ministris in scamno cooperto tapeto... *non presbytero assistente utantur* „. Iuxta tamen Motu - proprio Pii Pp. X, 21 aprilis 1905, Protonotariis supranumerariis utique conceditur in Missa pontificali presbyter assistens, at dummodo Episcopus ordinarius vel praesul Episcopo maior praesens non sit (n. 29); Protonotariis ad instar vero etiam privilegio uti nequeunt si in cathedrali celebrant (n. 47).

Equidem, ob quamdam libertatem, qua nonnulli, quamvis quoad ceterum observantiores, libenter abutuntur quando agitur de liturgicis praeceptis, multis in locis consuetudo ita praevaluit, ut passim a quocumque fere

sacerdote sollemniter celebrante presbyter assistens cum pluviali adhiberetur.

S. R. C. pluries damnavit hanc praxim tanquam abusum et renuit consuetudinem admittere (decr. 475, 805 ad I, 1171, 2271, 2867 ad II, 2933, 3057, 3408 ad II, 3442 ad 2, 3588); tamen aliquando *dignitatibus* sollemniter celebrantibus presbyterum pluviali indutum toleravit si consuetudo legitime praescripta esset (decr. 1111 ad III, 3580 ad I).

Episcopus Vicetinus Io. M. Farina, cum in sua cathedrali Ecclesia consuetudinem immemorabilem invenisset, quam S. R. C. servari posse declaverat, ut canonico sollemniter celebranti assisteret, praeter sacros ministros diaconum et subdiaconum, unus presbyter cum pluviali, a S. R. C. petiit an sequi liceret antiquos Rubricistas qui cum Bauldry tradebant hunc presbyterum se gerere posse more presbyteri assistentis Episcopo sollemniter celebranti. Bauldry et ceteri Rubricistae ante Constitutionem Pii Pp. VII " Decet Romanos Pontifices „, 4 iulii 1823, scripserant, at ab illa Constitutione vetitum fuit omnino canonicis adhibere ritus et caeremonias Episcoporum proprias absque peculiari indulto apostolico, non obstantibus quavis firmitate roboratis consuetudinibus, et aliunde per Constitutionem Pii IX, 29 augusti 1872, ipsis Protonotariis, ad instar participantium nuncupatis, expresse interdictus erat usus presbyteri assistentis. Episcopus Vicetinus, cum etiam Rubricae Missalis tit. VII, n. 11 (.... Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens, dum dicitur Canon, *nisi alius Sacerdos assistat...)* et tit. VIII, n. 8 (... Reposito Calice, Diaconus redit ad librum, *nisi alius assistat....*), de sacerdote assistente loquantur, canonicis

quidem sicut et ceteris in Missa sollemni concedi posse existimabat usum presbyteri assistentis, at dumtaxat ad librum, absque pluviali et cum superpelliceo tantum. Sed S. R. C. declarare rata est: " Ubi sit consuetudo immemorabilis, posse *cum pluviali* assistere ad librum (decretum 3564 ad I, die 1 dec. 1882: " Ad librum „ deest in decretorum collectione, adest vero in authentico exemplari, et in Indice decretorum) „.

Ex dictis colligitur, officium presbyteri assistentis, cum ut supra non prohibeatur, ad hoc redigi, ut ait Martinucci, ut curam gerat missalis, et monstret celebranti quid ei sit legendum aut cantandum.

Idem decretum in Vicentina causa fuit ut ab altero ex R.mis Apostolicarum Caeremoniarum Magistris (Balthassare Baccinetti), die 3 maii 1887 concinnaretur quaedam praxis pro presbytero assistente cum pluviali, canonico sollemniter celebranti. S. R. C. vero per decretum n. 4018 in *Urgellen.* (15 aprilis 1899) opportunum censuit nonnulla exorta dubia circa praxim sequendam declarare.

Si recto oculo quaestio inspiciatur, haec assistentia presbyteri alicui dignitati sollemniter celebranti, toto caelo differt ab assistentia Episcopo tributa, quaerendum tamen est an can. 812 etiam hanc prohibeat.

Canon Episcopis aliisque praelatis usu pontificalium fruentibus hunc honorem concedit: Episcopis utique ut in Caeremoniali Episcoporum traditur, praelatis qui omnibus episcopalibus iuribus dum pontificalia agunt utuntur, equidem iuxta idem Caeremoniale; at qui in scamno sedere debent, omnia ad altare legere etc. presbyterum assistentem habere possunt tantum iuxta praxim quae pro canonicis concinnata est, et declarationes S. R. C.

in *Urgellen.* Ex hoc eruitur, ceteris qui non fruuntur pontificalium usu, vetitam esse adsistentiam presbyteri pluviali induti. Consuetudo centenaria et immemorabilis non amplius sustineri potest, cum non consuetudo populi, sed cleri sit, et ob id sine incommodo removenda.

Can. 812 utitur verbis, quae omne dubium prorsus amovent: at circa Protonotariorum adsistentiam standum est Motu-proprio Pii X, quia limites eorum privilegii ampliati per hanc canonem non sunt: ergo tantum dum ritu pontificali celebrant habere possunt presbyterum assistentem, non vero si tantum sollemniter litant; nec eis fas est coram Episcopo aut Praelato maiore, et si " ad instar „ nec in cathedrali uti adsistentia alicuius presbyteri.

Quoad ceteros, cum materiam hanc hodie moderetur Codex I. C., sperandum foret maius obsequium praestituros erga legem a S. R. C. pluries sancitam. Postremis enim his temporibus, nulla suffragante consuetudine, abusus hac in re ita irrepserant ut dubitandi ratio haberetur utrum S. R. C. omnia decreta contraria e mediò abstulisset.

Honor ergo presbyteri assistentis pertinet tantummodo Episcopo et praelato dum actu pontificali ritu celebrat Missam. Presbyter, de quo loquitur Missale, caeremoniarius intelligitur, qui utique admittitur et nonnulla munera habet, quae, iuxta praxim de qua supra, demandata erant presbytero canonico assistenti, at caeremoniarius *honoris causa* nunquam conceditur. Sollemnitas nunquam esse potest causa admittendi in Sacro presbyterum assistentem, si Missa pontificali ritu non celebretur. Etiam post promulgationem Codicis Juris Canonici, in quadam ecclesia, cum Episcopus ob aerumnas itineris stata hora non per-

venisset, maxima, ut ita dicamus, cum simplicitate, presbyter pluviali indutus simplici parocho assistentiam praebuit et alii duo praeter ministros sacros pariter pluviali induti Missae sollemni adstiterunt, ut absentiae Episcopi quoquo modo suppleretur et populo magna et inusitata (!!!) functio praeberetur. Optandum est ut saltem unus ex ecclesiasticis viris, qui necessario praesto esse debent, in his rerum adiunctis pro viribus his cerebrosis placitis obsistat! Quid vero dicendum de praxi admittendi praeter ministros sacros alios pluviali vel dalmatica seu tunicella indutos? Equidem hic mos invaluit pluribus in ecclesiis etiam praestantioribus, in praecipuis sollemnitatibus! Isti admittuntur sollemnitatis causa : sint presbyteri vel clerici, sine controversia etiam si nullum officium exerceant, assistentes dicendi sunt; et canon iste ministros assistentes in Missa sollemni non admittit. Etiam pro Protonotariis apostolicis plurium diaconorum assistentia vetatur (cfr. Motu pr. decr. 4154, I, 6, II, 29): hic honor habetur maior honore presbyteri adsistentis, ergo.... Missale romanum silet, at decr. 3096, IV, mandat " servandas esse Rubricas Missalis romani, non obstante contraria consuetudine „ ; Caeremoniale Episcoporum (l, I, XV, 13), clara nota, haec tradit: " Procedunt.... Diaconus scilicet immediate ante Celebrantem. Subdiaconus vero ante Diaconum... *nec alii praeter ipsos erunt parati* „. S. R. C. suo decr. 1711, IV, docet: " Missa sollemnis celebranda est iuxta Rubricas ; nec licet adiungere aliquos presbyteros pluvialibus indutos pro facienda confessione et praeintonatione hymni angelici et symboli „. Corruptela ergo est, potiùs quam consuetudo, et post promulgationem Codicis I. C., qui non obstante immemorabili consue-

tudine, minus, damnat, nempe usum presbyteri assistentis in Missa non pontificali, prorsus neque in medium afferendus est abusus qui magis ad sollemnitatem confert, nempe praesentia plurium adsistentium paratorum in Missa sollemni.

Esto quod decretum S. R. C. ab auctoribus citetur quod " consuetudinem illam servari posse ubi adest „ permittit: at hoc decretum, quamvis recens, in Collectionem authenticam decretorum non est relatum.

Episcopus Bergomensis sequens dubium proposuit: " In aliquibus insignibus paroeciis dioecesis Bergomensis maioribus occurrentibus sollemnitatibus, praeter diaconum et subdiaconum, Sacrum facienti adsistunt duo acolythi cum tunicellis.... Hinc quaeritur: I. An haec omnia rite fiant, vel saltem tolerari possint? Et quatenus affirmative: II. An permitti, vel tolerari possit ut idem usus in aliis ecclesiis saltem principalioribus introducatur? „ S. R. C. die 17 ianuar. 1883 resp. " Ad I. Consuetudinem servari posse ubi adest. Ad II. Negative „.

Agitur in casu de consuetudine contra Rubricas, non contra hunc canonem, cum non agatur de presbyteris assistentibus, sed de clericis inferioris ordinis. Eadem consuetudo, forsan, si immemorabilis et si absque admiratione populi removeri nequeat servari potest ubi adest, non vero, ut citatum decretum notat, introduci in aliis ecclesiis. Re vera non tantum in Bergomensi dioecesi consuetudo haec invaluit, sed invenitur in pluribus dioecesibus et, tacentibus Ordinariis locorum, servatur. At si loco clericorum inferioris ordinis, ministri in sacris admittantur pluviali induti in canonem hunc offenditur, si tunicellis seu dalmaticis, quod negatur ipsis praelatis

pontificali ritu fruentibus, concederetur simplici sacerdoti, quod incongruum est.

Ad nostrum canonem redeuntes, observare debemus prohibitionem presbyteri assistentis latam esse tantum si causa honoris et sollemnitatis admittatur : dari ergo possunt causae quae hunc usum permittunt. Diaconus in Missa sollemni, quamvis plerumque sacerdos sit, tamen in illa simplex minister est et ministrare debet in suo actuali munere : aliunde ex. gr. neo-sacerdos in sua prima Missa sollemni indiget assistentia ne aliquid omittat et debito ordine omnia exequatur : et quia diaconus non semper praesto esse possit, non honoris seu sollemnitatis causa, ex communi consuetudine, neo-sacerdoti datur assistentia alterius sacerdotis. Solet enim concedi assistentia eidem etiam in primis Missis lectis, et ipsa S. R. C., si Missa cantata est cum ministris, concedit pluviale presbytero assistenti (decr. 3564, II), si lecta, stolam coloris paramentorum sumenda super superpelliceum vel a principio usque ad finem vel etiam a principio Canonis usque ad sumptionem (decr. 3515, III). Equidem in Missa sollemni nihil hic presbyter assistens habet commune cum caeremoniis quae iuxta praxim servandae erant a presbyteris qui ob consuetudinem dabantur dignitatibus et ceteris non pontificali ritu celebrantibus : unicum munus habet adsistendi neo-sacerdotem (cfr. plura dicta in *Ephem. Lit.* a. XXXII, nn. 10-11, pag. 426).

Sacerdoti caeco, vel mutilo, vel claudo, vel a morbo convalescenti facile assistentia praebenda est ab alio sacerdote : praescribitur, etiam, in nonnullis indultis haec assistentia. In Missa cantata sine sacris ministris assistens presbyter non prohibetur, nam iuxta decr. 4181, III, *si*

minister in sacris in promptu non sit, nonnulla a clerico tonsurato peragenda indicantur: et minister in sacris plerumque in casu sacerdos est.

CAN. 813.

§ 1. *Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat.*

§ 2. *Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat.*

De necessitate *ministri* in celebratione Missae loquitur Rubrica, missalis, quae inter defectus in ministerio ipso occurrentes (tit. X, n. 1) recenset: " si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier „.

Ab Aa. casus necessitatis referuntur in quibus sine ministro celebrari potest: *a*) quando debet dari Viaticum infirmo; *b*) quando urget praeceptum de audiendo Sacro, ne populus careat Missa (*); *c*) tempore pestis cum facile desit qui hoc ministerium adimpleat et aliter diu sacerdos omitteret celebrationem. Audiendi certo non

(*) Inverisimile est in *populo praesente* non inveniri virum, qui *ministret*, unam mulierem, quae *respondeat*! Moleste fertur quod graves auctores, uti Gavantus (v. infra), *culmen* ministerii ponant in porrigendis ampullis! et proponant ridiculum remedium de *praedicendis* verbis laico ministranti! Quis damnaret consuetudinem diffusissimam, gravibus rationibus suffultam, in sacellis Religiosarum, numquam adhibendum ministrum pro ampullis porrigendis! Canon ipse, quinimo, oppositam sententiam damnat (§ 2). Unde constat, damnari Missae celebrationem coram solis mulieribus non volentibus respondere? Quod reipsa damnatur, est Missa *solitaria*; aliud est quod prohibet canon 813, aliud quod fingunt auctores; canon quidem vult ut mulier respondeat, sed in casu quod ignoret, satis est ut ministrum repraesentet.

sunt qui inter casus necessitatis adnumerant casum sacerdotis, qui celebrare debet ad lucrandum necessarium ad suae vitae sustentationem et ad adimplenda onera fundationis. In casu verae necessitatis, si non possit haberi minister idoneus, iuxta doctrinam satis communem, adesse debet qui possit ampullas ministrare : in tali casu, ait Gavantus (P. II., tit. 2, *b*), sacerdos potest sibi respondere, ut ad *Orate fratres* et ad *Kyrie*, vel praedicere laico praesenti, quae respondere debet et quae dicenda sunt.

Canon 813 I. C. casum necessitatis non considerat ; ius enim tantum respicit ea quae in ordinariis contingentibus servanda sunt, et ministrum requirit qui inserviat et respondeat. At cur tanta in nonnullis rectoribus ecclesiarum ignavia inveniri potest ut contenti sint ut quoquo modo minister inserviat et respondeat ? Quomodo respondere dicendi sunt, qui mutila, incomprehensibilia verba emittunt, quae nec latinae nec cuilibet vivae linguae respondent ? Habetur plerumque inserviens, qui, sua prorsus methodo inservit, at deest minister qui respondeat, nam si excipias aliquod *Amen* et *Deo gratias*, reliqua verba in missali non inveniuntur. Sapienter Ecclesia primum decreverat ut minister adhiberetur in Missis privatis, qui saltem esset tonsuratus (decr. 113, VI), at cum clerici proprie dicti nunc temporis desiderentur, equidem admittendi sunt laici praesertim pueri (cfr. decr. 3647, VII) : curandum ergo est ut isti, meliori quo fieri potest modo, erudiantur, ut efficiantur idonei ministri. In Missis strictim privatis, diebus ferialibus, non necessario induere hi tenentur vestem et superpelliceum : tenentur vero si Missa sit conventualis (decr. cit.) : quod

i minister induit vestem talarem, cum sit ex. gr. Semiiarii alumnus, sit vel non tonsuratus, debet etiam superpelliceum induere, nisi pro laicis alicuius Familiae Religiosae obstent specialia statuta approbata (decr. 4194 I). Damnanda est tamen consuetudo nonnullis in locis vigens, ministros adhibendi indutos solo superpelliceo absque talari veste; et eo magis incuria vestium qua isti ministri ad altare admittuntur. Nulla qualitas vestis praescribitur pro inferioribus inservientibus, cuiuslibet coloris haec esse potest, cuiuslibet formae, at in omnibus requiritur decentia et mundities.

Circa numerum inservientium, unus tantum admittitur; duo ministri in Missa lecta prohibentur, etiamsi non introducantur ratione dignitatis celebrantis: *tolerantur*, tamen in Missis parochialibus et similibus, diebus solemnioribus et occasione realis et usitatae celebritatis et sollemnitatis (cfr. decr. 3059, VII).

Nostra aetate, quantum possibile est, ut fideli populo commodum detur intimius cum Celebrante Sacro participandi, conantur Episcopi et sacerdotes ut saltem in Missis festivis a fidelium coetu, una simul, respondeatur Celebranti: hoc laude dignum et commendandum est; attamen semper requiritur minister inserviens.

In libro 3 Decretalium, tit. 2, cap. " Prohibendum, „ legebatur: "Prohibendum quoque est, ut nulla foemina ad altare praesumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere „. Haec prohibitio etiam in can. 813, § 2, I. C. refertur; attamen iuxta decreta 2745, VIII et 4015, VI, celebrans uti potest tantum pro responsis ministerio mulieris, urgente necessitate; at ne mulier inserviat altari, omnia quae ad Sacri-

ficium occurrere possunt prius sibi commode disponere debet. S. R. C. responsa cohaerent cum iis quae traduntur a Merato (P. II, tit. 2, IV): " Ministrante viro circa altare, monialis a choro respondere potest; idque nullo iure prohibitum est... Potest tamen foemina longe ab altari respondere sacerdoti, numquam vero ampullas etc. ministrare „. Sed adverte: S. R. C. requirit urgentem necessitatem; Codex iustam causam, quae iusta causa deest quando ex. gr. coetus sanctimonialium, vel sororum, vel ipse sacerdos idoneo ministro masculo carent, eo quod nullum emolumentum ei praebeant.

ART. II — *De Missae ritibus et caeremoniis.*

CAN. 814.

Sacrosanctum Missae sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est.

" Aquam Dei ecclesia vino semper admiscuit; primum quod id a Christo Domino factum esse, et conciliorum auctoritate, et sancti Cypriani testimonio comprobatur; deinde, quod sanguinis et aquae, quae ex eius latere exierunt, hac permixtione memoria renovatur. Tum vero aquae, ut in Apocalypsi legimus, populum designant; quare aqua vino admixta fidelis populi cum Christo capite coniunctionem significat; atque hoc ex apostolica traditione perpetuo sancta Ecclesia servavit... Illud autem sacerdotibus animadvertendum est, ut quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse; nam ecclesiasticorum scriptorum sententia et iudicio aqua illa in vinum convertitur (Catech. Rom. *De Euchar. Sacram.* nn. 15-16) „.

Mystica significatio quam Catechismus tradit eadem est ac illa quam tradit Concilium Tridentinum (*sess. XXII. c, I, 7)*: at in forma actuali liturgiae romanae, significatio restringitur, ut indicatur ab ipsa oratione: " Deus, qui humanae subtantiae etc. „, ad sensum unionis Christi cum Ecclesia, iuxta illud S. Cypriani (*epist. 63 ad Caecilium*): " Quando in calice vino aqua miscetur, in Christo populus adunatur et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et coniungitur, quae aquae et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ad invicem separari: unde Ecclesiam, idest plebem in Ecclesia constitutam, fideliter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit a Christo„. Significatio vero effusionis aquae cum sanguine e latere Christi in aquae admixtione, exhibita est tum in Catechismo, tum in doctrina Concilii eo quod in pluribus ecclesiis saec. XVI, ante reformationem Pii V, missalia hodiernam orationem non haberent et formula uterentur: " Exivit de latere Christi etc. „, quae in liturgia ambrosiana adhuc servatur. Iuxta liturgiam armeniacam haec admixtio significat tum unionem hypostaticam naturae humanae cum natura divina, tum effusionem aquae una cum sanguine, quod exprimitur per formulam: " In memoriam salutiferae incarnationis Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi! Et unus ex militibus lancea vulneravit latus Redemptoris et subito exivit sanguis et aqua! „

Tantum mysterii causa aqua vino admiscetur, quapropter Rubrica Missalis (*De defect.* c. IV, n. 7) statuit: " Si Celebrans ante consecrationem Calicis advertat, non fuisse appositam aquam: statim ponat eam...; si post... nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacra-

menti.„ Cum vero non requiratur admixtio aquae ad validitatem, etiam minima gutta sufficiens est ad mysterium exprimendum. De quantitate aquae loquens Rubrica guttarum numerum non statuit, utitur tantum his verbis... " producit signum Crucis super ampullam aquae et dicit : *Deus qui humanae substantiae*, et infundens *parum* aquae in Calice prosequitur....„. Aa. interpretantur "parum„ dicentes sufficere unam guttam, ad maximum tres, iuxta quantitatem vini. Catechismus modicam aquam, canon iste C. I. C. *modicissimam* requirunt, sic interpretantes Rubricam Missalis. Omnes norunt, moralistas hac in re tradere in praxi non inquietandos esse qui usque ad quintam vini partem aquam infundunt et tantum quantitatem tertiam partem vini excedentem materiam dubiam reddere, et si vinum non est generosum, invalidam. Nobis videtur per canonem hunc restringi etiam haec interpretatio, et proinde tutior esse praxis iuxta quam si habentur plus quam tres guttae, non addatur iterum aliquid vini (turbat enim haec actio ritum) nisi in calice paucae vini guttae adsint, et curandum esse ut dimittantur per urceoli orificium tantum una vel duae guttae.

Ad praecavendum excessum, nam non semper obedit ampullae orificium voluntati utentis, quaedam Ecclesiae morem Carthusianorum sequuntur, et, quamvis Rubricae Missalis de eius usu sileant, utuntur parvo cochleari, in quo aquam excipiunt ex ampulla et ex eo in calicem fundunt, qui mos a S. R. C. (decr. 3064, IV) non reprehenditur (De usu huius cochlearis, vide plura in *Ephem. lit.* inter acta Accademiae Liturgicae mensis iunii 1919).

CAN. 815.

§ 1. *Panis debet esse triticeus et recenter confectus ita ut nullam sit periculum corruptionis.*

§ 2. *Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.*

Tritam materiam, quam in tractatu de Eucharistia omnes moralistae abunde tractant, canon iste respicit, nil decernens circa varias quaestiones quae moventur ab auctoribus.

Panis debet esse triticeus, nempe confectus ex farina tritici. *Triticum*, non quodlibet frumentum ; nam dantur frumenti species physice a tritico differentes, si dentur diversae tritici species seu varietates hoc non officit ; sufficit quod illud frumentum adhibeatur quod in determinata regione communi iudicio est et dicitur triticum. Admixtio farinae alterius speciei frumenti et etiam farinae ex substantia prorsus diversa a frumento, etsi modica, illicita materia habetur pro Eucharistia. *Aqua* pro conglutinatione *naturalis* requiritur et illicita foret admixtio alterius liquoris quamvis longe maior sit quantitas aquae. *Cocta* debet esse massa ex farina et aqua, ut habeatur nempe verus panis.

Recenter confectus panis pro Eucharistia debet esse. Canon tempus non determinat ; utitur enim formula a Rituali R. adhibita quin eam explanet ; rationem tamen innuit huius praecepti : " ut nullum sit periculum corruptionis „.

Panis azymus, quamvis minus et serius quam fermentatus ad corruptionem pergat, nihilominus alterationem patitur si diuturno tempore reservetur, et difficilius in azymo coepta corruptio ex visus sensu cognosci po-

test. Hoc tamen periculum omnino vitandum est, et proinde canon iste et Rubrica Ritualis urgent ne expectetur tempus cum de periculo certo constet, mandantes ut panis eucharisticus sit recentis confectionis. Can. 1272 qui mandat ut recentes sint etiam particulae consecrandae propter fidelium communionem et Hostia propter expositionem Sanctissimi Sacramenti, circa tempus instructionibus Ordinarii loci inniti debere innuit. S. C. de disciplina Sacramentorum suo decreto 7 decembris 1918 damnat consuetudinem iuxta quam « singulis duobus vel tribus mensibus hostiae comparantur et eadem distribuuntur in propriis et filiabus Ecclesiis pro Missae sacrificio peragendo ac pro fidelium eucharistica communione : elapso hoc temporis spatio, nova fit acquisitio et distributio hostiarum, quae pariter duobus vel tribus mensibus sufficiant, ac ita deinceps. „ Eadem S. C. hos duos C. I. C. canones et Rubricam Ritualis citat et observari mandat.

Auctores omnes liturgici et moralistae, inhaerentes instructionibus a S. Carolo Borromaeo datis in Concilio mediolanensi IV provinciali et alibi, *recentes* vocant hostias quae non ante viginti dies ad summum sint confectae : nonnulli tamen hoc tempus extendunt ad mensem vel restringunt ad quindecim dies prout humiditas loci vel aëris requirit, nam tempus hiemale aut pluvium et loca humida alterationem adiuvant : praestant ad conservationem serena tempestas et locus siccus.

Ius Canonicum, Rituale et S. C. nequeunt normam pro omnibus locis valituram tradere ; proinde ad Ordinarium pertinet tempus adsignare quod, in dioecesibus amplioribus in montanis et in planitie territorium ha-

bentibus, etiam variare potest iuxta locorum adiuncta.

Cum Canon iste etiam attingat Ecclesias Orientales, non loquitur de forma Hostiae, quae si in Ecclesia latina iuxta perantiquam traditionem debet esse orbicularis, in Ecclesia ex. gr. graeca debet esse quadrata : et cum agat de essentialibus requisitis ad validam celebrationem, omittit etiam quae aliunde ad licitam requiruntur, nempe ut in ordinariis contingentibus Hostia non sit maculata, non fracta, aliquam impressionem devotam habeat, sit formae maioris ; nec damnat praxim hodiernam iuxta quam Hostiae praeparari solent a laicis. Ordinariorum est instructiones pro sua dioecesi impertire ut in re tanti momenti, qualis est Hostiarum confectio, omnia diligenter et maxima cum vigilantia fiant : rectoribus ecclesiarum gravis obligatio incumbit vigilandi ut materia sacrificii certo valida sit.

Vinum debet esse naturale et hoc non indiget explicatione, nam vinum arte factum licet constet iisdem elementis quae in vino naturali inveniuntnr improprie dicitur " vinum „ et est liquor simpliciter. Naturale vinum dicitur liquor ex uvis de vite maturis expressus, nam si de uvis immaturis naturam vini liquor non habet. Vinum substantialiter est incorruptum ; vinum corruptum appellatur acetum vel vappa, acetum si acescit, vappa si spiritus (alcool) evanuit.

Canon tantum de materia agit, ut iam de pane diximus, quae requiritur ad validitatem ; variae quaestiones quae agitari solent a moralistis non resolvuntur auctoritative, et decreta quae circa haec a Congregatione S. Officii emanata fuerunt in suo robore permanent.

Ideoque " vinum ex uvis passis seu exsiccatis licet,

dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum (S. Off. 22 iulii 1706)„.

" Ad vini corruptionis periculum praecavendum a S. C. praefertur ebullitio vini usque ad sexaginta quinque altitudinis gradus (4 maii 1887) „.

" Vinum in Missae sacrificium adhiberi potest, si ei admisceatur spiritus (alcool) extractus ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum naturaliter continet non excedat proportionem 12 0|0 et admixtio fiat quando vinum est valde recens (31 iulii 1890) „, at non potest adhiberi vinum dulce quod naturaliter continet quantitatem alcoolicam duodecim pro centum, si pro eius conservatione alia quantitas spiritus commisceatur (19 apr. 1891) ; tantum in casu speciali permissa fuit additio quae non excederet proportionem 17 vel 18 0|0, modo admixtio fieret quando fermentatio tumultuosa defervescere incoepit (5 augusti 1890).

Vino naturaliter non minus quinque et non ultra viginti pro centum alcoolii continent. Spiritus est elementum essentiale vini et proinde " *vappa*„ interdicitur, quia materia inepta est.

Mustum seu succus ex uvis maturis recenter expressus materia valida est, at illicita extra necessitatis casum (*De Consecr.* Distinct. 2, cap. *Cum omne crimen*).

Vinum acescens materia valida est, et licita in primo gradu acescentiae, nempe quando incipit corrumpi : etenim naturam vini servat ; si vero sit notabiliter acescens quin possit dici acetum, illicita materia est etsi forte valida quia non omnino corrupta. Cum Innocentius III, in suo libro 4, de Sacro Alt. Myst. c. 31, acetum materiam aptam pro sacrificio appellat, equidem loquitur de pri-

mo gradu acescentiae, ut omnes theologi concedunt. Inter primum et extremum gradum gradus qui dantur pro liceitate maiorem requirunt necessitatem celebrationis.

Cl. Noldin (Th. Mor. ed. VIII De Sacram. n. 108) hanc pro praxi instructionem tradit: " Vinum in doliis asservatum paulatim exhalatione aliquantulum minuitur. Vacuum in dolio inde ortum expleri debet, ut vinum conservetur. Praestat quidem, ut dolium, in quo vinum pro Missae sacrificio continetur, vino naturali repleatur; attamen ad hunc finem etiam aqua adhiberi potest, quin vinum cesset esse materia valida et licita consecrationis: licite enim vino aliena substantia in parva quantitate admisceri potest, quae ad conservandum vinum necessaria est„.

Vino albo tantummodo uti deberent sacerdotes in Missae Sacrificio, iuxta nonnulla Concilia Provincialia et Synodus; at haec praescriptio tantum valet pro munditie linteaminum, quod adnotare sufficit.

Can. 816.

In Missae celebratione, sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque Sacrum litet.

In azymo litant Sacrum Latini, Armeni et Maronitae: tamen exceptio datur huic canoni pro sacerdote qui ad complendum sacrificium denuo consecrare debet et ei non suppetat alia hostia, nam in his adiunctis sumere potest et debet frustulum panis triticei usualis de cuius materia valida nequeat dubitari. Aliquando, tantum per modum actus, indultum a S. Sede conceditur mutandi ritum sacerdoti latino qui perpetuo vel ad tempus cogitur in regionibus vivere in quibus desunt ecclesiae ri-

tus latini. Absque indulto nemini licet, prout canon iste praescribit, panem a suo ritu proscriptum adhibere in celebratione et proinde si in loco degat ubi adsint ecclesiae proprii ritus, ad has pergere tenetur, si vero desint adire potest ecclesias alterius ritus et, petita licentia ab Episcopo illius loci, proprio ritu in eis celebrare.

CAN. 817.

Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missae celebrationem, consecrare.

Fontes ad calcem huius canonis tantum a Missali Romano derivantur. Citantur n. 5 et 6 de defectu panis; n. 5, 6 de defectu vini; et n. 8 de defectibus in ministerio ipso occurrentibus.

Doctrina a Missali Romano tradita ab omnibus amplexari debet etsi diversi ritus.

Quae sub n. 5 traduntur in rubrica *de defectu panis* respiciunt casum sub n. 4 traditum, et ita Missalis praescriptio sonat: "4. Si Celebrans *ante consecrationem* advertit, Hostiam esse corruptam aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, *saltem mente concepta*, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. 5. Si id adverterit *post consecrationem*, etiam *post illius Hostiae sumptionem*, posita alia, faciat oblationem, ut supra et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*; et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit: quia praeceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quam quod a ieiunis sumatur. 6. Quod si

hoc contigat *post sumptionem Sanguinis*, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua: et facta prius oblatione ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*; ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut *debitus servetur ordo* „.

Etiam n. 5 rubricae *de defectu vini* originem ducit ab iis quae dicuntur sub n. 4 eiusdem articuli et ita sonant Missalis instructiones: " 4. Si *post verba consecrationis* (Celebrans) advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis: *Simili modo* etc. 5. Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel huiusmodi aquae: apponat aliam Hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, *ad vitandum scandalum* poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera... „. Quamvis n. 8 materiam communem habeat cum articulo praecedenti tamen sub articulo de defectu vini communia traduntur his verbis: " Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus panis, vel vini, non posset ullo modo haberi: si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei altera iam consecrata: tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba et signa, quae pertinet ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi

possit: expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum „.

Sub n. 3 rubricae de defectibus in Ministerio ipso occurrentibus, doctrina traditur sequenda, si sacerdos dum celebrat " graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, „ et habetur tamquam fons huius canonis eo quod casum considerat celebrantis morbo correpti post prolatam formam consecrationis Hostiae ante consecrationem Calicis.

Quae omnia, si attente inspiciantur, semper casum considerant celebrantis qui non ex condicto celebrat cum unica materia, et inde deducitur eo magis nefas esse consecrare unicam materiam ex condicto cum et ille, cui nulla est culpa, cogatur iuxta traditas instructiones defectui mederi. A canone tamen non consideratur casus a Missali perpensus sub n. 8 de defectu vini, haec exceptio in favorem tantum vergit illius qui iam consecravit, de defectu alterius materiae inscius in actu consecrationis.

Secunda pars canonis: " Nefas est... etiam utramque (materiam), extra Missae celebrationem, consecrare „ explicatione non indiget, et extranea est nostro commentario.

Can. 818.

Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat.

Maximi momenti est canon iste quoad liturgiam: reprobat enim omnes consuetudines quae in celebratione Missae discrepent a rubricis librorum liturgicorum, nem-

pe pro Ecclesia romana: Missalis romani, Caeremonialis Episcoporum et Pontificalis.

Si canon iste conferatur cum canone 5, melius demonstratur eius vis: " *Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsi canonibus expresse* reprobentur *tamquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse: ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat*„.

Cum codex, hoc canone 818, *reprobet expresse* consuetudines cuiuscumque generis contra praescriptum rubricarum Missalis, eruitur, consuetudines sive particulares sive universales, quae progressu temporis a promulgatione Missalis inductae sunt, non posse sustineri. Diximus " Missalis „, sed merito huic accensenda sunt et Caeremoniale ac Pontificale quoad ritum ab Episcopis et aliis pontificaliter Missam celebrantibus. Non tantum de Missa ordinaria codex agi videtur, sed de qualibet Missae celebratione de iisque quae nonnullis Missis necessario coniuncta sunt, ut ex. gr. benedictio nuptiarum, ordinationes, consecrationes, etc.

Consuetudines si usque modo nonnullae vocabantur nunc dicendae sunt "corruptelae„, et cum "corruptelae„ in iure non sustineantur eliminandae omnino sunt.

Excipiendae tamen videntur consuetudines rubricis contrariae quae existunt universim, S. Sede non reclamante, circa res minoris momenti, ut ex. gr. praescriptiones circa superpelliceum supra quod induendae essent

vestes sacrae (Rubrica vero in casu ait: " si fieri potest „), cussinum supra quod collocandum Missale, purificationem porrigendam communicatis, tertium cereum accendendum ad elevationem etc., quae passim in desuetudinem abierunt. Ratio vero in his similibus repetenda est a novissimis Missalis rubricis, quia codicis leges liturgiam spectantes suam vim exserunt iuxta vigentem disciplinam liturgicam.

Ordinariis locorum datur potestas tolerandi in proprio territorio alias consuetudines contra rubricas, dummodo sint immemorabiles et earum suppressio damnum pietati facile induceret, quod habetur si consuetudo sit in populo, nam parum in his immemorari licet si sit in clero, qui tenetur se exhibere alacrem in praescriptionibus Ecclesiae obtemperandis.

Quid vero nunc dicendum est de quaestione, acriter agitata postrema hac aetate inter liturgicos et moralistas, circa distinctionem rubricarum in praeceptivas et directivas?

Codex hanc distinctionem ignorat et mandat ut "sacerdos celebrans *accurate* ac *devote* servet rubricas „. Aliunde quaestio paucis verbis resolvitur: omnes rubricae praeceptivae ab hoc canone habentur; non admittitur enim quaelibet exceptio, consuetudines omnes reprobantur; moralistarum erit quaestionem agitare circa maiorem vel minorem culpam in determinatae rubricae transgressione, iuxta theologiae et iuris principia.

Cum autem maxima cura Ecclesiae sit ne formam librorum liturgicorum privata devotio immutet, proinde praecipua rubricarum violatio et corruptela vera habetur si "alias caeremonias aut preces proprio arbitrio (celebrans) adiungat „.

CAN. 819.

Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati.

Si quilibet celebrare debet iuxta modum quem proprius Missalis liber describit, equidem et lingua uti debet qua conscriptae sunt formulae etc. in eodem libro. Exortae in nonnullis dioecesibus linguae slavonicae controversiae hac de re, per decretum S. R. C. 18 decembris 1906, compositae fuerunt et ex eodem decreto (n. III) permixtio linguarum prorsus vetatur.

Sed satis est hoc innuisse.

ART. III. *De tempore et loco Missae celebrandae.*

CAN. 820.

Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur.

Pluralibus utitur verbis Canon iste, quia dantur ritus a romano diversi, iuxta quos numerosiores sunt dies aliturgici. Iuxta romanum ritum tantum feria VI maioris hebdomadae aliturgica est, cum Missa praesanctificatorum haberi nequeat pro vera Missa. Nec vero audiendi videntur moralistae, qui pro privata Viatici necessitate censent licitam celebrationem Missae privatae hac feria, nam a nullo iure haec exceptio admittitur: aliunde casus hypotheticus evadit, cum satis superque provisum sit per rubricas, quae Eucharistiam servatam volunt praecise pro infirmis a Missa feriae V ad Missam sabbati maioris hebdomadae.

Aliquo modo habetur aliturgicum et sabbatum sanctum, quia ea die per anticipationem litatur; at, iuxta disciplinam

vigentem, tale non censetur, et proinde aliquando, etsi rarissime (cfr. decr. 2616 ad 2), facultas ex apostolico indulto admittitur privatam Missam celebrandi, quae nunquam pro feria sexta in Parasceve conceditur.

Verum canon non considerat tantum diem vere aliturgicum, sed et dies iuxta modum aliturgicos, nempe dies quibus celebratio speciali lege ecclesiastico-liturgica restringitur : qui sunt feria V in Coena Domini et sabbatum sanctum. Nil novi statuit Codex circa praxim, quae pluribus decretis S. R. C. suffulta usque modo servatur. Can. 239, § 1, n. 4 Cardinalibus facultatem tribuit : " celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebrent unam Missam in feria V maioris hebdomadae „ ; Can. 349, § 1, n. 1 eamdem facultatem tribuit episcopis " dummodo non teneantur celebrare in cathedrali „.

Unum Sacrum solemne celebrare licet feria V in Coena Domini tantum in ecclesiis in quibus asservatur ss. Sacramentum, et reliquae functiones tridui sacri peraguntur. De more solus primarius sacerdos celebrat, qui aliis de clero Sacramentum distribuit, in memoriam Domini, qui hac die primam solus Missam celebravit et Apostolos communicavit. Prohibitio supponitur a Caeremoniali Episcoporum (lib. II, c. 3), et S. R. C. pluries decrevit circa prohibitionem hac die factam Sacrum litandi extra casus ab ipsa dilucide recensitos. Haec decreta prae oculis habere opportunum erit, cum canonem 820 optime declarent.

Missa huius feriae V adnumeranda est solemnioribus (d. 2507) : at celebrari nequit in ecclesiis ubi dein non reponitur in sepulchro vel non asservatur SS. Sacramentum in aliquo altari (d. 2503 ad 5) ; verum in ecclesiis,

ubi plerumque non asservatur Eucharistia, Missa non est hac die celebranda nisi sepulchrum erigatur (d. 1120). Regulariter, praeter Missam solemnem alia lecta non permittitur (dd. 980 et 2465); conceditur tamen nonnullis congregationibus religiosis ut celebrare queant ante conventualem unicam Missam, in qua ministretur communio confratribus ministeriis temporalibus addictis (cfr. d. 2752 ad 3).

In collectione authentica Decretorum S. R. C. tantum d. 3414 invenitur quo conceditur ut Abbas Ordinarius s. Martini ad Montem Ciminum, iuxta immemorabilem consuetudinem, *ipse* possit primo mane Missam privatim legere et parocho pro tempore committatur Missa solemnis cum distributione communionis clero et populo. Eliminata est pars decreti 2494 (olim 4361) quae agnoscebat episcopo facultatem permittendi Missam privatam ante solemnem pro populi commoditate (decretum loquebatur " pro infirmis „ at Romae et alibi iuxta Gardellini [adnot. ad n. 4583 suae collect.] intelligebatur " pro populi commoditate „); proinde haec facultas sublata est; attamen cum a promulgatione decreti ad novam collectionem centenaria consuetudo alicubi inducta sit, haec, donec a s. Sede reprobetur, non necessario est relinquenda.

In ecclesiis parochialibus in quibus haberi nequeunt tres clerici, episcopus permittere potest ut unica Missa legatur quin sepulchrum et processio instituantur (d. 2616 ad 1); item Episcopus permittere potest ut Missa unica legatur absque alterius Hostiae consecratione et processione in ecclesiis ad regulares familias olim pertinentibus et nunc clero saeculari attributis, si in iisdem, ante deficientiam cleri, hebdomadae sanctae functiones peragebantur

(d. 3842 ad 2). In ecclesiis regularium, si functiones tridui sacri non habentur, Missa legi potest ianuis clausis (d. 2799 ad 2); requiritur vero apostolicum indultum ut eadem celebretur in seminariis et piis communitatibus (d. 4049 ad 2). Legitima non videtur consuetudo celebrandi Missam lectam in minoribus ecclesiis seu oratoriis quasi parochialibus, quales sunt ecclesiae hospitalium, carcerum, parvorum conventuum etc., quae proprio rectore et iure ss. Sacramenti continuo asservandi gaudent: sed facile obtineri potest a s. Sede indultum.

Pro celebratione Missae lectae, loco cantatae, omissis sepulchro et processione, parochi quotannis veniam petere tenentur ab episcopo (d. 2616 ad I), etsi pluribus in locis vigeat consuetudo nullius veniae petendae.

Si in feriam quintam hebdomadae sanctae incidat festum de praecepto servandum (iuxta disciplinam hodiernam, festum s. Ioseph tantum), episcopus curare debet ut tot Missae dicantur ante solemnem quot sufficiant ut populus praecepto satisfacere possit (dd. 1183, 1885 ad I, 1890 ad 6, 2240).

Si vero incidant festa olim de praecepto nunc abrogata, hac die indultum celebrationis aliquarum Missarum locum non habet (dd. 3179, 3490 ad 1, 3503 ad 3).

Strictior est disciplina pro sabbato sancto; etenim per decreta 1322, 1873, 1890 ad 9, omnino prohibetur, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, celebratio Missarum in quibuscumque ecclesiis et oratoriis, et unica Missa, cum omnibus caeremoniis ipsam praecedentibus, celebranda est; tantum episcopus, si ea die in proprii palatii sacello sacros Ordines conferre statuerit, Missam privatam peragere potest, eamdem incipiendo a

prophetiis (dd. 2375 ad 2 et 3044 ad 1); non tamen si in publica cappella (d. 3485). Ut supra innuimus, peculiaribus attentis circumstantiis, in aliquo casu, Apostolica Sedes generalis legis rigorem temperat, sed hac indulgentia parce utitur, ne ex privilegiorum copia evertatur vigens disciplina, et inducantur abusus. Missa, quae ex hoc singulari privilegio celebratur, more solito et sine introitu incipit et legi debet post campanarum sonitum (dd. 2616 ad 2, 2970 ad 4).

Unica Missa, quae de more cum omni officio huius diei coniuncta evadit, celebrari debet in ecclesiis ubi fons baptismalis erectus est, etiamsi ibi feria V in Coena Domini Missa, sine sepulchri erectione, lecta fuerit, et proinde feria VI nulla functio fuerit peracta, dum in ceteris ecclesiis functio et Missa sabbati sancti omitti potest quamvis functiones praecedentis bidui rite persolutae fuerint (cfr. dd. 2970 ad V. 4049 ad I).

Can. 821, § 1.

Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem.

Nota est antiqua missalis rubrica, circa quam in disputationibus theologiae moralis multae quaestiones sunt pretractatae: " Missa privata „, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest (*Rubr. Gen.*, XV, 1) „. Altera etiam rubrica legitur sub tit. X, n. 1, inter defectus occurrentes in celebratione Missae: "Si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter „.

Per decretum S. R. C. 62 Missam celebrare licet cuilibet sacerdoti orta iam die; per decretum 1361 ad II

celebratio ante diurnam lucem vel post meridiem prohibita est, at permitti potest arbitrio episcopi; per decretum 4044 ad IV prudenti arbitrio Ordinarii, permittitur ut Missa incipiat in meridie, etiamsi, in aliqua solemnitate ob cantum et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam et amplius.

Aurora non physice, sed moraliter est accipienda; et politice, iis in regionibus in quibus aurora est fere continua, vel fere continuae tenebrae ad plures menses protrahuntur (d. 614). Quaelibet additio rubricae reiecta est in conventibus S. R. C. habitis diebus 18 septembris et 2 novembris 1634, quia rubrica illa mansit diutissime inconcussa et universalis, et additio potius parere potuisset varias difficultates; quae specialiter propositae et consideratae fuerunt in Congregatione, et proinde rubrica intelligenda est ita, ut exordium diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, iuxta receptas et approbatas regionum consuetudines, habeatur pro illis regionibus tamquam aurora (Cfr. ib. idem Decr.). Iuxta Gavantum (ad hunc loc. *in Rubr. Miss.*), qui disputationi circa hanc quaestionem apud S. R. C. affuit, etiam tunc temporis communis sententia apud theologos, cognita a S. R. C., erat: posse celebrari Missam una hora cum dimidio *ante solis ortum* iusta de causa; tertiam partem horae ante auroram vel post meridiem esse notabilem partem et sufficientem ad lethale peccatum: privilegiatos (ut hora ante vel post celebrare queant) posse hora ante vel post statam horam a canonistis regulariter concessam celebrare, quia aliter non esset privilegium.

Iuxta Gènicot (Th. Mor. vol. II, ed. 6, pag. 232): " Aurora hic intelligitur tempus quo incipit crepusculum

matutinum, seu quo sol 18^{um} gradum infra horizontem ingreditur. Hinc patet magnum discrimen circa huius rubricae applicationem vigere inter varias regiones, prout plus minusve ad polum accedunt vel ab eodem removentur. Quare pro singulis regionibus confici solent tabellae quae aurorae horam indicant... Quando aurora per totam noctem perdurat, ut hic in Belgio a 26 maii ad 19 iulii, nulla lex positiva obstat quominus a media nocte celebretur ; non apparet ergo quare, servato decore, id non liceat. Ubi vero aurora valde tarda est, servari potest consuetudo celebrandi citius quam per generalem regulam liceat : ita in Belgio, etiam summa hieme, licet Sacrum incipere hora 5^{a} „.

Iuxta communem sententiam theologorum recentiorum, tempus aurorae et meridiei moraliter sumendum erat, ita ut rubricae missalis satisfaceret is, qui Missam ante auroram non absolveret et post meridiem non inciperet, nempe circiter viginti minutis ante auroram inciperet Missam et viginti post meridiem absolveret. Nunc vero his et aliis placitis obsecundans, Codex I. C. rubricam Missalis immutavit per can. 821 § 1, relinquens tamen unamquamque regionem liberam ut antea in supputatione temporis. Iuxta can. 33 " ... in privata Missae celebratione... licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium „.

Cum, ex can. 613 § 2 praescripto, quaelibet religio gaudeat iis tantum privilegiis, quae ei directe concessa sunt, exclusa in posterum quavis communicatione, et cum privilegium celebrandi *duabus* horis ante auroram et post

meridiem non contineatur in Codice, tantum eodem fruuntur Congregatio Puritatis, cui directe a Pio VI, et Ordo S. Io. de Deo, cui ex specialissima gratia a Leone XIII concessum est.

Ex hac amplificatione rubricae satis consultum est opificibus et famulis, qui summo mane ita audire Sacrum possunt, quin sacerdos utatur pro iis epicheia; item non amplius requiritur causa vel licentia episcopi ut Missa celebretur post meridiem; eo magis quia, ut moralistae concedunt, limites intelligendi sunt moraliter, nempe Missa incipi potest paucis momentis ante horam primam post meridiem et absolvi paucis momentis post aurorae ortum, et prae oculis can. 33 haberi potest, qui quoad meridiem libertatem supputandi concedit.

Nullum amplius privilegium per can. 821 § 1 agnoscitur iis qui ex indulto iam eodem fruebantur, nempe celebrandi una hora ante auroram et una hora post meridiem, quo privilegio fulciebantur praesertim missionarii et nomen dantes aliquibus piis societatibus.

CAN. 821, § 2.

In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto.

Missale romanum usque modo, de hora Missae celebrandae (*Rubr. gen.* tit. XV, n. 4) loquens, ab ordine tradito excipit Missas in Nativitate Domini, " quarum prima dicitur post mediam noctem... secunda in aurora... tertia vero in die... vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur „ Ex contexto eruitur Missam persolvi posse media nocte tantum in ecclesiis in quibus officium

chorale persolvitur (cfr. De Herdt, *S. Lit. Prax.* t. III. n. 5, 2). Missa in cantu praescribitur; nam iuxta d. 2520 (ad I et II), " Missae privatae celebrandae non sunt ante auroram sine apostolico indulto, et contraria consuetudo est abusus et ab episcopo abscindenda „. Recentius eadem S. R. C. per d. 3931 concessit " ex indulto seu pro gratia, causa exposita perdurante „, ut in Cathedrali s. Ioannis Terrae Novae, quae capitulo carebat, Missa *sollemnis* celebraretur in nocte Nativitatis quin officium divinum huic Missae praemitteretur.

Quid novi ergo statuit can. 821 § 2. Extenditur enim iuridica facultas ad Missam parochialem; non requiritur pro huius celebratione cantus Matutini, et lecta esse potest: Missa tamen conventualis a rubrica missalis regitur.

Nota sunt decreta quibus vetatur celebratio Missae ita ut celebrans sit in puncto consecrationis pulsante media nocte, vel etiam si adveniente hora mediae noctis iam sit cantatum evangelium (cfr. dd. 3448 ad XVI et 3576 ad X). In nova collectione decretorum S. R. C. tantum invenitur concessio exhibita, adeo perantiqua (n. 44), celebrandi Missam etiamsi debita hora praeveniatur, at " in casu „ idest per modum privilegii. Privilegia omnia de Missae sacrificio ante dimidium noctis celebrando abrogata fuerunt per Constitutionem " Sanctissimus „ a s. Pio V; attamen privilegia antiqua aliquando fuerunt confirmata, et etiam posteriori aevo indulta huiusmodi sunt. Etiam nostra aetate adhuc in Veneta regione permultae cathedrales et parochiales seu minores ecclesiae hoc privilegio fruuntur, nempe peragendi Missae sacrificium primis horis noctis quae diem natalem Christi antecedit; quod ad imitationem Pontificiae Capellae di-

citur factum (cfr. Bened. XIV, *De Syn. Dioec.*, 1. VI. c. 8). Apostolica Sedes etiam nuperrime confirmavit privilegium, quod probari a nonnullis ecclesiis nequibat ob documentorum amissionem, et quod forsan tantum a consuetudine inductum fuerat. Ex. gr. in ecclesia B. M. V. de Succursu in civitate Rhodigio (dioec. Adrien.), ex privilegio 14 dec. 1779 ; in ecclesia Tumbae in civitate Adria ex privilegio 28 iunii 1909, in ecclesia s. Sophiae in civitate Lendinaria (dioec. Adrien.) ex privilegio d. 6 aug. 1910, Missa prima Nativitatis D. celebratur hora septima vespertina diei 24 decembris. Eodem privilegio, ut dixi, plurimae fruuntur ecclesiae, inter quas augustum s. Marci templum Venetiis, cathedrales Clodiensis, Patavina, Vicetina etc. (In kalendario annuali apponi solet haec adnotatio sub die 24 dec. : " Celebrantes ante mediam noctem sint ieiuni a media nocte antecedenti, adeoque non sumant purificationem in Missa hodierna „).

Codex edicit praedictas Missas conventuales seu paroeciales inchoari posse " media nocte „, rubrica missalis " post mediam noctem „ ; simillima est locutio, at canon videtur minus exigere quam rubrica. Etenim praepositio " post „ supponit ut certo constet incoeptam esse diem Nativitatis et, ut melius explicem, videtur Codex permittere quod Missa incipiat completa hora 24 diei 24, vel hora *0* (ut utar commerciali loquendi modo), incipiente die 25, dum rubrica requirit initium Missae post horam *0*. At cum idem Codex (can. 33 § 1) in supputatione temporis pro celebratione Missae amplam concedat libertatem, nemo est qui hodie innitatur strictiori locutioni.

Non excludit canon iste Missas ex indulto apostolico,

quamvis non conventuales seu parochiales, et est praeludium sequentis paragraphi.

CAN. 821, § 3.

In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sanctam communionem petentibus ministrare.

Ius hic sancitum introductum fuit per decr. S. R. et U. Inquisitionis diei 1 augusti 1907, quod parum dissonat a verbis huius canonis; nam edicebatur quod " sacra nocte Nativitatis Domini, in omnibus et singulis sacrarum Virginum monasteriis, clausurae legi subiectis, aliisque religiosis Institutis, piis domibus et clericorum Seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus, cum facultate sacras species habitualiter ibidem asservandi, tres rituales Missae, vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere „ declarabatur.

Hoc decretum temperatum fuit per decretum eiusdem, S. C. diei 26 novembris 1908, quo praecipitur ut si agatur de oratoriis, quae publico usui inserviant, Missae celebrentur ianuis clausis. Et postremo decretum est ut religiosorum ecclesiae quae inserviunt publico usui excluderentur a privilegio trium Missarum, et tantum permit-

teretur unica Missa media nocte. Ex declaratione S. C. Consistorialis d. 14 martii 1910, pro obtinenda facultate tres Missas celebrandi hac nocte in " sacellis publicis et ecclesiis quae ad hoc privilegio indigent „, recurrendum est ad S. Congregationem de Disciplina Sacramentorum, et ex hoc loquendi modo erui videtur, dari posse ecclesias quae publico usui inserviunt, et tamen privilegio non indigent, inter quas Aa. (cfr. *Eph. Lit.* a. XXX, pag. 115) ponunt ecclesias religiosorum, qui celebrata Missa in media nocte ianuis apertis, ut ex generali privilegio ipsis iamdiu concesso, non tenentur arcere fideles ut aliae duae Missae celebrentur iuxta decretum 1 augusti 1907, et satis erit tunc ianuas claudere.

Per decreta S. O. et maxime per canonem hunc, equidem, aliquid pristinae severitati indultum est; pluries enim S. R. C. declaverat non licere post Missam primam in media nocte ante auroram alias duas celebrare et vetuerat administrationem communionis.

De distributione sacrae Eucharistiae hac nocte sermo redibit, cum commentarium instituemus can. 867, § 4, a quo tamen canone huius peculiaris concessionis mentio non fit.

CAN. 822, § 1.

Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam iuris, salvo praescripto can. 1196.

Regula generalis hic traditur, exceptiones in paragraphis successivis et in citato canone continentur. Celebrari ergo regulaliter Sacrum non potest nisi in loco divino cultui addicto per consecrationem vel per solemnem

benedictionem, iuxta ea quae dicenda erunt in commentario canonum partis II, sect. I. huius libri III. Forsan accuratior esset hic paragraphus si excluderet locum quidem sacrum, sed violatum vel interdictum. In annotatione fontium plura citantur in calce huius paragraphi decreta, quae, cum sint circa materiam satis tritam, hic omittimus, et data occasione commentaturi erimus in praedictae partis II explicatione. Citatur et missale romanum in suis capitibus " De praeparatione altaris et ornamentorum eius „, " de defectibus in ministerio ipso occurrentibus „. Enimvero non sufficit tantum altare pro licita celebratione, sed hoc instructum debet esse iuxta rubricas, nempe tribus mappis coopertum et super illud collocatis duobus candelabris cum candelis accensis hinc inde in utroque latere crucis ; cetera ornamenta non stricte praecipiuntur. De sacra supellectili sermo erit in tituli XVIII huius libri commentario.

CAN. 822, §§ 2 et 3.

Privilegium altaris portatilis vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur. — Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari.

Altare *portatile* hic intelligitur petra sacra parvae mensurae quam secum ferre quis potest et collocare super quamlibet planitiem, quam tamen cooperire debet tribus mappis et exornare cruce et candelabris cum candelis. Altarium portatilium usus invaluit praesertim in commodum missionariorum, qui plerumque prohibentur quominus celebrare possint in loco divino cultui addicto.

Insaeviente bello quod regiones vastavit europaeas, usus horum altarium plurimum iuvamen tribuit militibus in castris et nosocomiis, qui aliter Sacro caruissent, et sacerdotibus militiae lege civili adscriptis, qui secus raro litassent.

Iure gaudent privilegio altaris portatilis cardinales S. R. E. qui iuxta can. 239, n. 7 " (facultate gaudent) celebrandi super aram portatilem, non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt; et permittendi ut alia Missa ipsis adstantibus celebretur „, necnon episcopi sive residentiales sive titulares, ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis (Can. 349, § 1, n. 1, et S. R. C., n. 3906). Iuxta Motu-proprio Pii Pp. X, *Inter multiplices* (A, I, 11), a Protonotariis Apostolicis de numero participantium Missa celebrari potest ubivis in altari portatili, et qui huic Missae intersunt, diei festi praecepto rite planeque satisfaciunt: ceteri Protonotarii (ib. II, 22) omnino carent hoc privilegio altaris portatilis.

Requirit canon, ut altare portatile erigatur in loco honesto et decenti, qui locus regulariter non potest esse sub dio, sed quoties succurrat aliquod cubiculum quoquo modo extructum et ad usum vilem non adhibitum in eo celebrandum est. Proinde celebrari potest Missa in aula palatii vel domus propriae aut alienae, ubi privilegiatus degit, etiamsi ibidem oratorium privatum erectum sit; per se honestum ac decens est cubiculum ad dormiendum aut ad prandendum. (Nihilominus conveniens non est in huiusmodi cubiculo Missam celebrare, seclusa necessitate. Cfr. can. seq. et *Ephem. Liturg.*, a. 1896, pag. 598, et a. 1914, pag. 681. Quoad

usum privilegii altaris portatilis extra domum propriae habitationis, cfr. Ferraris, v. *Oratorium*, nn. 5, 70 et 94). In mari celebratio concessa non est omnibus indultariis altaris portatilis (S. R. C., n. 4069 ad IV); etiam pro cardinalibus et episcopis (protonotarii excluduntur) ius distinguit inter celebrationem super aram portatilem et celebrationem in mari, ut innuatur indultum altaris portatilis non secum ferre hanc facultatem, etenim privilegium sub diverso commate (n. 8) enunciatur cum solita clausula: " debitis cautelis adhibitis „ nempe ut mare sit tranquillum et nullum adsit irreverentiae periculum. Requiritur ordinarie adsistentia alterius sacerdotis, sed facile conceditur a cautela hac dispensatio, dummodo alia ratione periculum effundendi s. Sanguinem caveatur.

CAN. 822, § 4.

Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus.

Per canonem hunc restringitur facultas quae a S. C. de Sacramentis tributa fuerat per decretum 23 decembris 1912, ad I, et per decretum 22 martii 1915 ad I; quo postremo " Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere *poterant* per modum actus celebrationem Missae, domi, quocumque die „ : declaratur haec facultas et extenditur ad Superiores domorum religionis exemptae. Ordinariis ergo et Superioribus ut supra, adempta est potestas concedendi in

cubiculo celebrationem Missae. Quid veniat nomine cubiculi, ex vocis etymologia desumendum est, nam in vulgari sermone cubiculum (stanza, camera, piéce, chambre, zimmer, room) ab usu tantum distinguitur ab altero (ad prandendum, ad dormiendum, ad alios recipiendos etc.), quamobrem etiam aulae (sala, salon, saal, hall) excluderentur et tantum sub dio celebratio his in adiunctis permitteretur. Cubiculum dicitur a *cubile* seu *cubare*, proinde e. g. nunquam Ordinarii etc. queunt Missam permittere in cubiculo pro alicuius infirmi necessitate. Non sufficiunt solae iustae et rationabiles causae, sed requiritur etiam ut casus sit extraordinarius; facultas vero adhibenda est tantum " per modum actus „. Quae omnia iuxta declarationem Commissionis Pontificiae ad Codicis canones authentice interpretandos, diei 16 oct. 1919 ad XII, sumenda sunt *restrictive*.

CAN. 823.

§ 1. *Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato et benedicto.*

§ 2. *Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum* antimensiis.

§ 3. *In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto.*

Violata non censentur templa haereticorum vel schismaticorum eo quod in iis conventus acatholicorum habeantur, aliter, per can. 1173, § 1, satis provisum esset, nam divina peragere in ecclesiis pollutis nefas est, antequam reconcilientur. Prohibitio haec pluries emanata fuit,

ut videre est in fontium annotatione, ne sacerdos catholicus videatur communicare cum haereticis et schismaticis.

De *Antimensiis* haec a P. Maximiliano Saxoniae (*Prael. de Lit. Orient.* tom. I, pag. 65) traduntur: " Usus ecclesiae Graecae agnoscit unicum altare... dantur tamen exceptiones... Mensa altaris tribus linteaminibus cooperitur. Primum extenditur katasarka vel linteum sepulchrale ex lino confectum, deinde venit secundum linteamen, endytion vocatum, tertium linteamen ex serico, iliton vocatum, quod sanctum sudarium Christi significat. In illud iliton involvitur *antiminsion* vel altare portatile. *Istud est velum sericum, in quo imago sepulturae Christi invenitur et in ipso conservantur involutae reliquiae sanctorum.* Ubi ergo antiminsion invenitur, ibi Missam celebrare licet. Est illud speciali modo ab episcopo consecratum. Attamen etiam ipsa sacra mensa in consecratione ecclesiae ab episcopo consecratur. Antiminsia inde proveniunt, quia episcopi antiquitus, quando non potuerunt personaliter ecclesias consecrare, consueverunt talia linteamina ab ipsis benedicta eo mittere, ut liceat interea ibi celebrare „.

Cetera huius Canonis nullo commentarium egent.

Art. IV — *De Missarum eleemosynis seu stipendiis.*

Can. 833.

Praesumitur oblatorem petiisse solam Missae applicationem; si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemoynam acceptans, eius voluntati stare debet.

Tota huius articuli materia nullam habet cum sacra liturgia connexionem et potius ad theologiam moralem

pertinet; attamen hunc seligimus canonem, qui argumentum discussionis liturgicae praebere potest. Etenim, inter circumstantias ab oblatore expresse determinatas esse potest, et revera saepe requiritur, qualitas Missae. Tunc enim voluntas oblatoris in leges liturgicas incidit, et profecto rubricas non moderantur placita eleemosynam praebentis, sed inclinari ad eas debet tum oblator tum qui onus celebrandi suscipit.

Notum est decretum a S. R. C. emanatum circa hanc materiam sub die 5 augusti 1662 (n. 1238). Compertum enim fuerat in plerisque Ecclesiis, etiam Almae Urbis, irrepsisse abusum celebrandi Missas privatas pro defunctis etiam in festis duplicibus, ut praescripto offerentium satisfieret. Mandavit ergo S. C. ut nullatenus in duplicibus Missas privatas de requie sacerdotes celebrare praesumerent, etiamsi haec fuisset voluntas offerentis; at eiusmodi Missas non esse transferendas, edixit, in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento esset, sed celebrarentur de festo currenti, cum applicatione Sacrificii iuxta mentem eleemosynam praebentium.

Per decretum generale 1343, diei 1 decembris 1666, confirmatur eadem praescriptio et clare denuntiatur tunc " per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de Requie ad formam privilegiorum „. Quae S. R. C. mandata apponenda esse in Missali post Rubricas Generales edixit decretum generale 2228.

Maximi momenti hac in re est decretum in *Aquen.* diei 3 martii 1761 (n. 2461 ad 7). Dubium sic propone-

batur: " Dicendo Missam privatam de die occurrente satisfitne cuilibet obligationi Missae sive a fidelibus petitae, oblato manuali stipendio, sive ipsa pro defunctis, sive in honorem alicuius Sancti petita fuerit, modo Sacerdos non expresse promiserit se illam de tali Sancto aut in paramentis nigris celebraturum? Id quidem ab Alessandro VII definitum fuit pro diebus duplicibus; at in diebus semiduplicibus et feriatis estne licitum, et satisfitne debito? Suffragatur persuasio et praxis nonnullorum Sacerdotum; et nisi hoc liceret, vix umquam Missa conveniret cum Officio in praedictis diebus non duplicibus; quae enim postulantur a privatis fidelibus, plerumque petuntur pro defunctis aut in honorem alicuius Sancti. Praeterea sic citius defunctis subvenitur, idque videtur exigere commoditas et securitas Sacerdotis. In re tanti momenti et quotidianae occurrentiae quaeritur quid praestandum sit? „. Responsum S. C. huius tenoris fuit: *Diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, Sacerdos ad illas obbligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.*

Haec sententia tamen videtur aliquantum temperata per decr. 4031 *Plurium Dioec.*, 13 iunii 1899, quo, iuxta Aa. communem opinionem, obligatio celebrantis standi voluntati praebentis eleemosynam utique agnoscitur, at si Missam celebraverit sacerdos conformem proprio Officio, non eidem imponitur obligatio restituendi vel quam citius denuo applicandi iuxta placitum oblatoris cum circumstantiis, ut decretum *in Aquen.* demum requirit. Quae-

situm (Dub. IV) enim fuit: " Sacerdos cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicuius Mysterii, Beatae Mariae Virginis, vel Sancti; satisfacitne obligationi suae Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitas Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet iuxta intentionem dantis eleemosynam? „ S. R. C. respondit: " Affirmative; *sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requie, vel votivam* „. Etenim adverte: in quaesito clare propositum est dubium; vero hoc iamdiu resolutum fuerat per decr. gen. 1343 supra relatum, et S. C. ad illud remittere poterat, eo magis quod, cum esset in principio missalis appositum, omnibus notum esse debuisset. Noluit tamen S. C. hanc occasionem praetermittere, et etiam quod quaesitum non fuerat perpendere voluit. Hanc fuisse mentem S. C. nemo est qui ambigat, si verba attendat dubii et responsi, nempe aliquid novi statuendi, ne plus aequo animos turbaret peremptoria dispositio decr. 2461 ad 7. Equidem illud " *quantum fieri potest* „ referri nequit ad verba quaesiti " *cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat* „; si haec fuisset mens S. C. actum esset de rubricis, quia ut voluntati oblatoris satisfiat etiam diebus a rubricis vetitis, *consultius* Missa de requie vel votiva dicenda esset.

Cum vero accipienda sint verba decreti 13 iunii 1899 in sensu proprio, nempe " diebus non impeditis, consultius esse etc. „, hinc concludere licet a decreto hoc temperari decretum *in Aquen.*

Etiam nuper aliquid similis sancitum comperimus. Equidem, per decr. 12 iunii 1912 ad VI, S. R. C. statuerat:

" Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis Indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita.... oratione pro defunctis pro quibus Missa ipsa celebratur „. At S. C. S. Officii (sectio de Indulgentiis) per suum decretum 19 februarii 1913, adprob. sequenti die 20 a Summo Pontifice, statuit: " ne facilis neglectus conditionis.... in grave purgantium animarum detrimentum vergat ad altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam, *non amplius in posterum* sub poena nullitatis requiri, Missam de requie, aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria celebrari ; id tamen *laudabiliter* fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum „. Ergo, quamvis per breve tempus aliter S. C. R. senserit, modo, sine animi inquietudine uti possumus libertate quam postrema decreta celebranti concedunt.

Attamen Codex iuris canonici per hunc canonem videtur inducere legem hoc iure rigidiorem, et sane utitur imperativis verbis " stare debet „. Si vero attendas codicem non tantum qualitatem Missae, sed alias quoque circumstantias *expresse* ab oblatore petitas considerare, quadam epikeia uti possumus, quasi ab oblatore potius attendantur ceterae circumstantiae quam praedicta ; quod revera saepius evenit. Sollicitus enim est oblator ut Missa celebretur determinata die, in determinato altari, hora statuta etc., videtur vero minus sollicitus de qualitate Missae. Certe nemo qui expresse requirat Missam pro suis necessitatibus vel ob devotionem evadit indifferens si Missa pro eisdem adiunctis celebretur de Officio diei vel votiva. Si oblator Missam pro defunctis petit in paramentis nigris et *expresse* petit, promptus etiam diem

expectandi in qua Missa haec a ritu permittitur, utique obligatio celebrantis parendi voluntati oblatoris existit.

Adverte tamen per verba canonis obligationem non induci de qua loquebatur decr. in *Aquen.*, nempe propriae obligationi non satisfacere, Missam de die occurrente celebrantem quando ritus votivam vel " de requie „ permittit, si votivam vel " de requie „ oblator petierit. Obligatio temperanda est iuxta decreta supra citata S. R. C. et S. Officii, nempe *consultius* vel *laudabiliter* standum est voluntati offerentis.

Ut diximus, nobis videtur potius cetera adiuncta ab oblatore petita canon considerare.

CAPUT II.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

ART. I. — *De ministro sacrae communionis.*

§ 1. *Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos.*

§. 2. *Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.*

Quaenam fuerit antiqua disciplina circa communionis distributionem neminem latet. Primis Ecclesiae saeculis, ius quasi exclusivum diaconorum erat haec distributio, nam episcopi eamdem potius diaconis committebant quam presbyteris; et sub hoc historico respectu temperandus est can. 8, sess. XIII Concilii Tridentini, a quo edicitur:

" Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent... „. Cum diaconorum cessaverit praeminentia et presbyteris cura animarum commissa fuerit, dispensatio Eucharistiae ex officio ad solos sacerdotes pertinuit; tamen diaconi, ex sua ordinatione cum ius haberent inserviendi sacerdoti in rebus maioris momenti, in hoc secundo tempore, ex commissione presbyterorum quibus inserviebant communionem dispensare potuerunt. Disciplina tunc orta est quam canon iste immutatam exhibet.

Per decretum S. R. C. n. 2504 edicitur non posse diaconum, extra casum necessitatis, fidelibus communionem distribuere. Casum necessitatis considerat etiam canon iste; at praeterea admittit gravem causam, quae non sit necessitas. Cessit ergo codex aliquantulum erga opinionem Aa. qui non strictam necessitatem, sed necessitatem late sumptam considerabant. In secundo enim paragrapho canonis, consideratur non tantum delatio Viatici, sed et consueta administratio Eucharistiae in ecclesia; necessitas equidem in primo casu saepius occurrit quam in postremo, neque tamen in hoc excluditur necessitatis occursus. In casu necessitatis, ait canon, licentia legitime praesumitur. Iuxta Aa. praesumenda tantum erat licentia, et proinde sine commissione diaconus ministrare poterat communionem, in gravissima necessitate moribundi si de Viatico ageretur et sacerdos deficeret; modo de hac gravissima necessitate sermo non occurrit, et necessitas non reducitur ad solam delationem Viatici. Proinde, iuxta nostram sententiam, si quis ex. gr. communionem petit et tantum diaconus praesto est in ecclesia, verum facile

non sit aliquem sacerdotem cito vocare et aliunde petens expectare non possit, praesumi potest licentia.

Gravis causa requiritur pro licentia concedenda ab Ordinario vel a parocho, quae tamen causa reducenda non est ad casum necessitatis, uti patet. Haec licentia videtur concedi posse etiam pro iis casibus qui aliquam utilitatem vel commodum prae se ferunt, excluso tamen casu simplicis pigritiae sacerdotis. Ex. gr. in quadam paroecia extat domus religiosarum, quae in parochiali ecclesia convenire omnes nequeunt pro communione; parochus solus est et impeditus vel in celebratione Missae, vel in excipiendis fidelium confessionibus; praesto adest diaconus, et ei parochus committere potest administrationem communionis in Oratorio illarum religiosarum. Idem parochus iter aggreditur summo mane et scit determinata hora nonnullos fideles petituros communionem; in paroecia habet diaconum tantum et bene ei committit dispensationem Eucharistiae hoc in casu. Non sunt enim hae gravissimae causae, sed ab omnibus habentur ut graves quales canon iste requirit.

Adverte quomodo licentiam diacono impertire nequeat quilibet sacerdos, nec quilibet rector Ecclesiae, sed tantum Ordinarius loci et parochus; sub nomine parochi veniunt tamen omnes qui plena potestate paroeciali sunt praediti (cfr. can. 451).

Quoad ritum a diacono eucharistiam dispensante servandum, decretum 3074 normam tradit. Equidem omnia eodem ritu iisdemque verbis diaconus ac sacerdos peragere debet, praeterquam quod stola transversa utitur.

CAN. 846–§ 1.

Quilibet sacerdos intra Missam et, si privatim cele-

brat, etiam proxime ante et statim post, sacram communionem ministrare potest, salvo praescripto can. 869.

Can. 869, de quo in praesenti ius tribuit, ut videbimus, Episcopo interdicendi distributionem communionis in casibus particularibus, dummodo adsit iusta causa. Igitur, si nulla prohibitio a Superiore locali lata sit, ius tribuitur cuilibet celebranti communionem administrandi. Est haec quaedam restrictio can. 845 § 1 ; nam quamvis sacerdos dicatur solus minister ordinarius sacrae communionis, tamen hac potestate uti nequit nisi in casibus a iure expressis. Etenim pascere gregem Christi proprium est pastorum, et proinde illis tantum committitur administratio Sacramentorum : ad licitam ergo administrationem Eucharistiae praeter potestatem requiritur iurisdictio, quae etiam hoc in casu ordinaria vel delegata esse potest.

Canon supponit hanc delegationem in sacerdotibus etiam extraneis qui Missam celebrant in aliqua Ecclesia; nam data a Superiore Ecclesiae licentia celebrandi, utique et administratio Eucharistiae concessa censenda est, cum, iuxta mentem Ecclesiae, qui adsunt Sacrificio ad communionem quoque invitentur et distributio communionis pars sit ritus celebrationis. Parochus nequit hanc facultatem adimere celebrantibus in propria Ecclesia; tantum Ordinarius loci, si causae graves suppetant, aliquam ponere potest limitationem.

Limitatio olim habebatur pro Missis " de requie „ ; vel, ut melius loquar, controversia inter theologos et rubricistas exardebat circa administrationem communionis intra Missam "de requie„ et aliunde, S. R. C. responsa dederat peculiaribus in casibus antequam deveniret ad Decretum Generale quod omne dubium eliminaret. Per de

cretum S. R. C. 24 iulii 1683 ad 2 sat claris verbis declaraverat " non esse contra ritum ministrare communionem in missa de requie vel post illam cum paramentis nigris, omissa benedictione si administraretur post Missam „ ; at opinio, progressu temporis, pervaserat posse tantum ministrari Eucharistiam, si adhiberentur particulae in eadem Missa "de requie„ consecratae; et mos invaluerat Missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis ut administraretur communio. De hac re iuste conquerebantur doctores et rubricistae ; at S. C., quamvis annis 1823, 1837, 1865, 1866 circa hanc controversiam disquisitionem instituisset, tamen, quia habebat uti salebrosum huiusmodi negotium, renuit Decretum Generale condere et rem definire. Tantum per Decr. gen. 27 iunii - 23 iulii 1868 quaestio finita est, et vigens disciplina inducta, nempe, potest s. communio administrari intra Missam " de requie „ cum particulis praeconsecratis quin pro nigris paramenta violacea adhibeantur, et etiam immediate post et immediate ante eamdem Missam, omissa benedictione.

Non obstante hoc decreto, nonnulli dubitarunt " an sit prohibitum Sanctissimam Eucharistiam fidelibus, iusta de causa, ante vel post Missam immediate distribuere „. et S. R. C., per decr. 3832 ad III, sub die 17 iulii 1894 respondit "negative„. Demum expostulatum est " an sacerdos, sacris vestibus sacrificii indutus, possit administrare sacram communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam conventualem. sicut permittitur ante vel post Missam privatim ? „ et S. R. C. sub die 19 ianuarii 1906, per Decr. n. 4177 ad III, respondit "negative „.

Aliquod tamen antiquae controversiae monumentum manet, et est praxis romana non administrandi s. communionem intra Missam cantatam "de requie„, quae praxis a Decr. 4102 ad 7 commendatur ceteris ecclesiis.

Editio typica 13 iunii 1913 Ritualis Romani (tit. IV. c. 2, n. 11) casum considerat administrationis " *statim Missam* „ non autem casum " immediate ante „ : verum, ubi de modo impertiendi benedictionem post administratam communionem agit (n. 9), ait : " Et ita iis qui communicarunt benedicit Sacerdos tam extra Missam *quam ante* et post ipsam „.

Ex his decretis conflatur, ut patet, § 1 can. 846.

CAN. 846 § 2.

Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus.

Paragraphus hic videtur obrogare praecedenti vel unum idem conflare ; quia cum quilibet sacerdos eadem facultate polleat tum intra tum extra Missam, non esset locus duplici distinctioni. Adverte tamen, quod si consuetudinem paragraphus I approbavit ut ubicumque sacerdos Missam celebrat, Eucharistiam distribuere possit iis qui ex devotione communicare velint, supponit parochum, qui potestate ordinaria fruitur, eamdem delegasse pro casibus extra Missam, suis coadiutoribus et ceteris sacerdotibus qui suae paroeciae inserviunt ; rectorem ecclesiae (non parochum) qui delegata fruitur potestate, pariter suis subdelegasse cooperatoribus, immo eamdem potestatem Ordinarium loci concedere pro determinato loco, quoties parochis seu rectoribus ecclesiarum aliquem

assignat ut eos adiuvet in ministerio. Quapropter paragraphus II tantum pro extraneis requirit consensum rectoris; at cum non valor actus, sed sola eius liceitas dependeat ab hac licentia, rationabiliter praesumi potest eadem licentia etiam ab extraneo.

ART. II. — *De ministro Sacrae Communionis.*

CAN. 847.

Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat.

Perpendenda sunt singula verba huius canonis, quia sua non carent significatione speciali.

Infirmi, utique sunt illi qui ad ecclesiam accedere nequeunt, at non requiritur ut in lecto decumbere debeant vel periculosa detineantur infirmitate, ut fas sit ad eos sacram communionem deferre. Ad hoc facit monitum Ritualis Romani (Tit. IV, c. 4, 2): " Hortetur Parochus infirmum, ut sacram communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit „.

Delatio ss. Eucharistiae ad infirmos *publice*, etiamsi agatur de communione ob devotionem, peragi debet. Haec doctrina cohaeret cum iis quae a Rituali (l. c.) requiruntur; habetur ergo publica delatio si per aliquot ictus campanae convocentur pii Christifideles, qui adiuvent sacerdotem communionem delaturum deferendo ea quae necessaria sunt ad honorificentiam tanto Sacramento debitam, ut sunt intorticia et umbella seu baldachinum, vel etiam tantum comitentur ss. Sacramentum; si sacerdos delatu-

rus communionem indutus sit praescriptis indumentis, nempe superpelliceo, stola et velo humerali; si campanula iugiter pulsetur in itinere. Equidem rerum adiuncta exigere queunt apparatum demissiorem, sed semper requiritur ut sacerdos solus non accedat ad s. communionem ministrandam sed cum eo sit qui umbellam et saltem unum lumen gerat et ipse sacerdos indutus sit superpelliceo, stola et velo. Apparatus hic demissior praecipue adhibendus occurrit, ut Rituale permittit in longioribus et difficilioribus itineribus, et etiam noctu, si necessitas urgeat. Habetur in his casibus manifesta et honorifica delatio.

Canon, de mediis quibus iter peragi potest non loquitur; tantum ut *deferatur* publice ei cura est. Rituale morem antiquissimum equitandi non reprobat, at nulla lex prohibet s. communionem, in longioribus itineribus vel etiam in casu necessitatis, deferre sedendo in curru, dummodo cum omni decentia et reverentia id fiat, quo casu non dispensatur sacerdos a socio cum lumine comitante. Sed adverte tunc dari *iustam et rationabilem causam*, de qua loquitur canon, pro privata delatione, quin ergo necessarius sit apparatus de quo supra. Vix tamen quis dicet s. communionem deferri posse insidendo bicyclo (bicicletta, bicycle, zweirad), debitae enim reverentiae difficile consulitur. In praesentiarum etiam in velivolis certa securitas et proinde reverentia haberi nequit, at casus iste tantum in locis missionum et desertis contingere potest, et nemo est, qui ambigat in casu necessitatis posse adhiberi media velociora, dummodo affulgeat spes securae delationis ad infirmum egentem sacrae communionis.

Modus deferendi *occulte* ad infirmos s. Eucharistiam describitur a Const. Benedicti XIV *Inter omnigenas* § 25, edita pro Servia et finitimis regionibus, quam s. Congr. de Discipl. Sacramentorum, per decr. 23 decembris 1912 ad III, confirmavit etiam pro locis quae in partibus infidelium non sunt : " Sacerdos stolam semper habeat, propriis coopertam vestibus : in sacculo, seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, associetur „.

CAN. 848.

§ 1. *Ius et officium, sacram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium.*

§ 2. *Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii.*

Publica delatio ss. Eucharistiae ad infirmos quamdam inducit solemnitatem et est vera processio, etsi non habeat processionum externam magnificentiam : quocirca a iure aequiparatur haec processio, in commodum privatae personae, processionibus quae publicis de causis indicuntur et nullus sacerdos in territorio parochiali facultate potitur, absque parochi licentia, extra ecclesiam functiones sacras peragere quae apparatum externum requirunt, ut pluries in iure decernitur, excepto casu can. 1291, § 2, et salvo iure Ordinarii loci, pro sua prudentia in peculiaribus rerum adiunctis, aliter disponendi.

Sed ius non tantum, verum etiam officium ad parochum pertinet deferendi communionem ad infirmos in

suo territorio degentes, sive sint paroeciani sive sint extranei, qui casu in proprio territorio infirmitate detinentur, dummodo excipiantur ii qui quidem in territorio parochiali existunt, at a iure considerantur, vel ab Ordinario constituuntur, exempti a iurisdictione parochi (cfr. can. 464). Cohaeret hic cum can. 468, § 1 ; " Sedula cura et effusa caritate *debet* parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando „.

Parochus autem qui in alieno territorio paroecianum habet infirmum egentem sacrae communionis, ex dictis, ius non habet eamdem publice deferendi, etsi per can. 881, § 2. ubique terrarum suos subditos absolvere possit, et per can. 1218, §§ 1, 2, funera proprii paroeciani ducere queat per alienum territorium, etsi diversae dioecesis, si exequiae peragendae sunt in propria ecclesia parochiali ad quam pedestri itinere cadaver asportari potest.

De casu necessitatis non est interloquendum ; praesumitur facile consensus parochi et aliunde prorsus habendus esset insipiens parochus qui, ut suum ius non violetur, adigat alios sacerdotes debitam reverentiam erga ss. Eucharistiam postponere, eamdem privatim deferendo.

Can. 849.

§ 1. *Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est.*

§ 2. *Quando privatim sacra communio iufirmis*

ministratur, reverentiae ac decentiae tanto Sacramento debitae sedulo consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis.

Per modum allusionis iste canon comprehenditur in praecedentibus; agitur enim in eis de publica delatione et proinde supponitur privata, quae a can. 847 conceditur si adsit iusta et rationabilis causa. Sed forsan aliquid novi canones iuris canonici statuunt? Videretur, si decreto S. R. C. 2650 in Gadaven. (II facti spec., qu. 1) et Suffragio super idem emisso (Decr. Coll. Vol. IV, p. 281) innititur; non videretur si attenditur decr. 3337 prout proponitur in " Indice „, quod ita sonat: " Viaticum deferri ad infirmos secreto sine ullo exterioris cultus signo, *si desint gravia motiva sic agendi*, abusus est omnino eliminandus „. At adverte alia decreta, nempe 2908, 3059 ad 19,3438 ad 7, considerare casum, iam a Rituali (l. c.) satis explanatum, qui sic in indice decretorum proponitur et resolvitur: " Viaticum deferri per montes inaccessos a Parocho et Oeconomis, equitantibus ac caput pileo cooperientibus, comitante saltem uno socio, *si fieri potest*, lanternam accensam deferente, permitti potest ab Episcopo, ex S. R. C. indulta facultate „.

Nil a Rituali et a decretis erui potest, quo fas sit communionem deferre iuxta modum a Const. *Inter omnigenas* Benedicti XIV descriptum; saltem requiritur ut sacerdos induat superpelliceum, stolam et velum; aliae concessiones, nempe procedendi sine socio et capite cooperto, faciendae ab Ordinario, presupponunt hunc peculiari facultate praeditum a S. C. Sacr. Per decr. 3234 ad I, S. R. C. declaravit, missionariis Daniae, privilegium eis competere ministrandi occulte sine sacris vestibus et lumine s. communionem;

sed etiam hoc in casu requiruntur causae prudenti iudicio graves, nempe periculum sacrilegii ex parte haereticorum aut infidelium ; agitur semper de casu peculiari non valde dissimili ab illo, quo motus Benedictus XIV peculiares dedit facultates sacerdotibus regionis Serviae.

Attamen si fontes canonis huius inspicimus, statim manifestum fit non decretis S. R. C. inniti legislatorem, sed tantum decretis S. C. de Propaganda Fide, Constit. *Inter omnigenas*, necnon instructioni S. C. de Disciplina Sacramentorum diei 23 decembris 1912 ad III ; unde concludendum est : *privatam* equidem vocari delationem ss. Eucharistiae, si sacerdos solus vel cum socio lumen deferente pergit ad infirmum hoc Sacramento reficiendum, ut permittunt nonnullis in adiunctis Rituale et decreta S. R. C., indutus superpelliceo, stola et velo, at hic non agi de simili delatione, quae semper manet publica, cum omnes occurrentes tali sacerdoti sciant ipsum gestantem ss. Eucharistiam. Canon priva[illegible]ocat delationem quae fit iuxta modum a Benedicto XIV descriptum, idest absque superpelliceo et velo, cum stola tantum propriis cooperta vestibus, cum socio sine lumine, capite cooperto.

Privata, seu potius *occulta*, haec delatio inducta est a s. m. Pii X per citatum decretum 23 decembris 1912 ad magis magisque fovendam s. communionis frequentiam. Per hoc ergo decretum, Ordinarii locorum permittere possunt ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant, et s. communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, s. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum

deferatur. Et adverte per hoc decretum extendi facultatem nonnullis regionibus factam a Const. *Inter omnigenas* et a decr. S. C. de Propaganda Fide, nam ritus huiusmodi secretae delationis adhibendus erat tantummodo pro administrando viatico ; modo, non tantum pro viatico, sed etiam quandocumque fideles infirmi, etsi lecto non decumbant, pro sua devotione communionem exposcunt, haec privatim deferri potest.

Sed a canone hoc non amplius requiritur licentia Ordinarii de qua in decr. 23 dec. 1912. Iuxta omnes, facultas Ordinarii minime delegata sed ordinaria erat, quapropter eam ad modum actus vel ad modum habitus concedere poterat parochis, vicariis foraneis etc. cuiusque loci propriae dioecesis, et per se ea uti poterant tantum qui delegatam haberent hanc potestatem, quae utique non concedebatur soli parocho sed etiam eius coadiutoribus; at extendi non poterat ad alios sacerdotes nisi expresse pro iis petita fuisset facultas vel eos parochus delegatus subdelegasset ; ergo non quilibet sacerdos ad infirmos privatim communionem deferre poterat vi decreti supracitati.

Ablata hac conditione, de licentia Ordinarii obtinenda, canon tantum requirit ut haec delatio fiat saltem de venia praesumpta sacerdotis, cui custodia Ss. Sacramenti commissa est. Sermo non est de parocho, quia Ss. Eucharistia sumi potest a quacumque ecclesia seu oratorio in quo asservatur; proinde ius non violandum est illius qui curam debet habere de tanto sibi commisso Sacramento, quasi furtim agendo. Praesumi equidem potest eius venia cum urgeat necessitas vel ipse custos in ordinariis

adiunctis praesto non sit; at expressa licentia requiritur quandocumque commode compellari potest.

Iamvero non demus oblivioni can. 847: " Ad infirmos *publice* sacra communio deferatur, *nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat* ". Haec privata delatio praesupponit semper ut difficilis sit publica, sive ob nullum concursum devotorum, sive ob vias asperas vel loca impervia, sive ob aeris intemperiem, sive ob noctem imminentem vel progressam et longius iter peragendum etc.; et praesertim si timendum sit aliquid quod veneration erga Ss. Sacramentum obstet.

Non furor infidelium pertimescendus est in nostris civitatibus vel populosis pagis, sed ob fidem languescentem et indifferentiam invalescentem, negativa saepius habetur contemptio, seu non sufficiens reverentia, erga Ss. Sacramentum, quod per vias deducendum esset ubi continua est curruum vel etiam peditum multitudo, quae ducitur vel a negotiorum necessitate vel a solatio, et tunc cura ei non est de religione, et inopportunam habet quamlibet per vias illius manifestationem, maxime, ut evenit in delatione s. communionis, si inopinate huic manifestationi locus detur.

Quisquis sacerdos considerare debet, an in suo casu iusta et rationabilis causa habeatur, ne cedat frequenter ignaviae propriae; et si nihil timendum sit nec desit debita reverentia fidelium, sciat non necessario uti debere ritu a Benedicto XIV descripto et a decreto 23 decembris 1912 sancito, si longius sit iter, si pluries communio ab aliquo vel a pluribus petatur, etc. Potest enim, et decet, caput non cooperire, bursam palam deferre ut ab omnibus cernatur et socius potest lumen deferre; eo

magis laudandus si superpelliceo, stola et velo indutus procedat. Consulitur hoc modo et reverentiae debitae Sacramento et commoditati propriae necnon infirmi; iis in casibus tantum recurrendum est ad *occultam* delationem, quando timetur irreverentia etsi indirecta erga Ss. Sacramentum.

Agitur in omnibus his casibus de communione devotionis causa, nam si agatur de viatico, servandus est canon 850, et ut videbimus, necessaria est saltem praesumpta venia parochi, etiamsi privatim viaticum deferatur.

Quoad § 2 huius canonis, ex dictis commentarium facile se praebet, praesertim si prae oculis habeatur etiam quod diximus circa celeriora media adhibenda; reverentia non tantum curanda est sed et decentia.

Loquitur canon de quolibet sacerdote, at non excludendus videtur diaconus a delatione privata, dummodo eidem facta fuerit licentia ab Ordinario loci vel parocho; differentia habetur, quia cuique sacerdoti, qui communionem in ecclesiis rite ministrare potest fidelibus, pariter concessa est facultas eam ministrandi domibus privatis et sufficit praesumpta venia sacerdotis cui commissa est custodia Ss. Sacramenti, dum diaconus, cum ob devotionem nulla urgeat necessitas, mandatum habere debet peculiare, quod impertiri nequit nisi ab Ordinario vel a parocho, gravi semper de causa. Confer ea quae diximus in Can. 845, § 2.

CAN. 850.

Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam can. 848, salvo praescripto can. 397, n. 3 et can. 514, §§ 1-3.

Ob ampliatum ius deferendi ad infirmos communionem a quolibet sacerdote privato modo, codex iuris canonici saltem tectum voluit officium parochorum administrandi viaticum sive paroecianis sive extraneis in proprio territorio graviter aegrotantibus. Vidimus publicam delationem s. communionis fieri non posse absque parochi licentia etsi deferatur tantum ob devotionem; vidimus nullum ius habere parochum vetandi privatam delationem ab aliis factam in suo territorio si pariter ob devotionem communio deferatur, at sive publica sit sive privata delatio viatici, eidem reservatur; sui enim est pascere gregem in praecipuis vitae spiritualis actibus. Equidem viaticum, ordinaria praxi, solemni ritu deferendum est, at si occurrant circumstantiae, de quibus supra, nil vetat ut privato modo ab ecclesia deferatur ad infirmum.

Attende verba " per modum Viatici „, et confer quae leguntur in Rituali (l. c., n. 3): " Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit „. Si periculum evaserit, cessat ratio Viatici et habetur communio ob devotionem, quae deferri potest a quolibet sacerdote modo privato; sed si periculum perduraverit, non cessat officium parochi et proinde ius exclusivum ei non adimitur deferendi denuo per modum Viatici s. communionem, ita ut ceteri sacerdotes tantum cum eius licentia possint infirmum communicare.

Non excludit canon Viatici delationem per alios qui animarum curam gerunt sub directione parochi; hi enim ab eodem ad omnia delegantur vel delegantur ab Or-

dinario, sed parochus potest hoc deferendi Viaticum ius sibi reservare, nisi aliud postulet necessitas.

Si delatio Viatici publica est, omnia quae a Rituali praescribuntur servanda sunt (decr. 3086 ad 6); et tolerari nequit mos ut parochus illud deferat, comitante magno numero non confratrum, sed mulierum, quae umbellam et intortitia ferunt, tintinnabula pulsant, et rosaria recitant, at parochus adhibere debet aliquot saltem adolescentes pro umbella, campanula et luminibus; mulieres autem, si velint deferre lumina, sequantur sacerdotem (decr. 4127).

Casus nonnulli excluduntur a canone in quibus parocho adimitur ius et officium in proprio territorio deferendi viaticum. Etenim cum Episcopus Ordinarius nequeat fieri parochianus, ius et officium eidem decumbenti ministrare Sacramenta spectat ad capitulum cathedrale seu conlegiatum, idest ad dignitates et canonicos secundum ordinem praecedentiae (can. 397, n. 3). Si vero in territorio parochiali domus religiosa *clericalis* habeatur, cum haec exempta sit a iurisdictione parochiali, ius et officium ministrandi eucharisticum Viaticum spectat ad Superiores domus, tum propriis novitiis et professis, tum aliis qui ratione famulatus, educationis, hospitii in religiosa domo diu noctuque degunt (can. 514, § 1). Si agitur de domo monialium, idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit (can. 514, § 2).

Si autem agatur de religiosis familiis et piis domibus non exemptis, ius et officium spectat ad parochum, nisi episcopus, iusta et gravi de causa, a parochi cura eas subduxerit, quo casu devolvitur ius et officium ad cap-

pellanum quem Ordinarius parocho suffecerit (can. 514, § 3 et 464, § 2).

CAN. 851.

§ 1. *Sacerdos sacram communionem distribuat azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum.*

§ 2. *Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.*

Haec doctrina desumpta est a Const. " Tradita ab antiquis „ a Pio X promulgata sub die 14 septembris 1912, et inserta habetur in editione typica Ritualis a. 1913 sub titulo " De sacra Communione promiscuo ritú suscipienda „. Codex cum agit de subiecto sacrae communionis, alios articulos desumit ex hac Constitutione, ut videbimus.

Commentario non eget canon iste; sufficiat adnotare in his rerum adiunctis inveniri non tantum missionarios sed etiam sacerdotes ritus latini degentes in dioecesibus ritus mixti.

Ad hoc facit can. I "Licet in Codice Juris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt „.

CAN. 852.

Sanctissima Eucharistia sub sola specie panis praebeatur.

Dum a canone praecedenti statutum est quid agen-

dum si sacerdos latinus communionem praebere debeat fideli orientali, hic canon respicit tantum sacerdotem latinum communicaturum latinum fidelem et antiquam praxim Eucharistiam administrandi sub sola specie panis servatam vult, dum, ut videbimus, a can. 886, § 1, fideli latino datur facultas ut, pietatis causa, suscipiat sacramentum Eucharistiae etiam sub specie vini ab orientali sacerdote.

ART. III. — *De subiecto sacrae communionis.*

CAN. 862.

Expedit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur.

Caeremoniale Episcoporum (l. II, c. XXIII, n. 6) ad rem haec habet : " [Episcopus] antequam purificet, communicat primum diaconum et subdiaconum, deinde omnes canonicos paratos et alios sacerdotes de ecclesia ; qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent, et denique omnes de clero „. — Missale romanum in rubrica Missae feria V in Coena Domini tantum habet : " ... fit Communio... „ quin de communione ministrorum et ceterorum de clero mentio fiat. — Memoriale Rituum (tit. IV, c. II, n. 17) de communione clero inferioris sic loquitur : " Fit communio clericorum apud altare, deinde virorum et mulierum ad cancellos... „.

Ex libris ergo liturgicis expressa obligatio pro clero accedendi ad communionem erui nequit ; adhibentur enim formulae quae vel, ut in Missali et Memoriali, tantum innuunt solitam administrationem quin de sacerdo-

tibus sermo habeatur: vel, ut in Caeremoniali, de sola administratione in Missa pontificali agunt quin habeatur verum mandatum, quod tantum circa stolam a collo pendentem deferendam a sacerdotibus communicaturis vertitur.

Attamen decreta S. R. C. quae sit voluntas Ecclesiae vel saltem quod sit votum a rubricis expressum sat claris verbis pandunt.

Vix enim hodierni liturgici libri in usum deducti sunt, cum dubium hanc super rem occurrit Ordinario Civitatensi, qui utique bene noverat antiquam praxim et de silentio rubricarum vel de non expressa obligatione in iisdem contenta mirabatur. S. R. C., ab eodem hac de re interpellata, sub die 27 septembris 1608 respondit: " Feria V in Coena Domini omnes presbyteri, tam dignitates quam canonici et mansionarii, communionem sumant de manu Episcopi vel alterius celebrantis „. — Hoc decretum citatur inter fontes canonis huius, et de eius servato robore testantur posteriora decreta S. R. C., quae a praescripto hoc non recedunt, et praesertim decr. 2489 in cuius calce adhuc legitur, ut videbimus infra. Et haec decreta expendere liceat.

Episcopus Seguntinus ad S. R. C. recursum habuit ut decerneret in hoc dubium: " An attento quod in Cathedrali consueverint canonici feria V in Coena Domini Missas celebrare, et ex eis neminem ad Communionem, quae fit ab ipso Episcopo inter Missarum solemnia, accedere; Episcopus eosdem possit ad observantiam contentorum in Caeremoniali, lib. 2, cap. 23. compellere ?„. Eadem S. C. respondit sub die 19 septembris 1654: " Omnino servandum esse Caeremoniale Episcoporum,

et *pro eiusdem observantia posse ab Episcopo cogi canonicos, et allos quoscumque de gremio Ecclesiae*„.

Denuo S. R. C. interpellata fuit circa hanc rem ab Episcopo Cortonensi et ad dubium 16 : " An Feria V in Coena Domini canonici, qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem sacrae Eucharistiae de manu Episcopi ?„ respondit sub die 10 septembris 1701: "*Debent*„.

Adverte peremptoriam hanc dispositionem : non ergo tantum cogi possunt. sed *debent cogi !*

Exiit sub die 12-27 septembris 1716 decretum generale, quo dum permittuntur aliquae Missae privatae ante Missam cantatam, quoties festum Annuntiationis B. M. V. incidat in Feria V maioris hebdomadae, principium ponitur ad rem nostram valde opportunum : " *Tamen*, ait S. R. C., *antiquus mos communionis Clerl* in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SS.mae Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, *summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur*„. Sermo non est de Cathedrali Ecclesia tantum sed " pro Civitatem et Pagorum qualitate „ ; ergo si cogi debent canonici et reliqui de gremio Ecclesiae Cathedralis, etiam in aliis Ecclesiis nullo modo omitti potest antiquus mos. De antiquo hoc more semper servato loquitur Episcopus Conchensis in suo postulato apud S. R. C. ; canonici enim suae Cathedralis suo praescripto de non celebrandis Missis privatis ante conventualem acquieverunt, at nonnulli putantes esse novum eiusdem Episcopi mandatum de sumenda communione in Missa conventuali, eidem parere minime voluerunt. Ob id Episcopus S. R. C. supplicavit ut declarare dignaretur : " An dignitates, canonici, portionarii ceterique beneficiati Ecclesiae Ca-

dralis Conchensis teneantur sacram Eucharistiam accipere de manu celebrantis in Missa conventuali Feria V in Coena Domini, *sicuti faciunt ceteri de Clero in suis Parochiis ?...„*. S. R. C. sub die 22 decembris 1770 servari mandavit decretum *in Civitaten.*. quod supra, quia prius in tempore, summatim retulimus. Haec est autem genuina decreti in Civitaten. doctrina : "Servandam esse regulam praescriptam in Caeremoniali, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est : ut scilicet Feria V in Coena Domini in memoriam quod D. N. I. C. manu sua propria omnes Apostolos communicavit *omnes presbyteri,* tam dignitates quam canonici et mansionarii, *communionem sumant de manu Episcopi vel alterius celebrantis* „.

Mutinae, post haec omnia disceptatum est in clero, ita ut necessarius fuerit recursus ad S. R. C. ad tollendam de medio privatam interpretationem. Et dubium sic propositum est : " *Quum ex Rubrica Feriae V in Coena Domini pateat omnes de Clero dicta die communionem sumere debere de manu celebrantis,* nihilominus nonnulli sacerdotes non dubitant asserere haec dicta esse *ob merum consilium, non vero de praecepto.* Hinc quaeritur : An revera omnes de Clero inservientes Missae Pontificali et praesertim sacerdotes, diaconi et subdiaconi sacrorum Oleorum consecrationi assistentes, teneantur sacram communionem sumere de manu celebrantis?„. S. R. C. sub die 23 septembris 1837 non dubitavit asserere hunc casum consideratum iam esse a decr. gen. 12–27 septembris 1716 et a decr. in Seguntina diei 19 septembris 1654 et proinde praeceptivam esse communionem cleri.

Huic sententiae cohaeret decretum in Amerina, 12 augusti 1854 quod, circa praecedentiam Magistratibus non concedendam super clerum Feria V maioris hebdomadae decernens, rationem reddit dicens "pro clero communio praescripta est „.

His perpensis, quid dicendum de canonis huius C. I. C. dispositione ? Vox " expedit „ consilium, non praeceptum importat, quapropter videtur temperatum iudicium quod super hanc rem tulit S. R. C. per sua decreta.

Verum, res non ita se habet. Tenet enim praescriptio Caeremonialis, tenent et cetera decreta competentis Congregationis. Codex hac in parte novum ius condere non vult ; satis illi est antiquum morem innuere, se referendo ad clericos et ad sacerdotes qui interesse sacro ea die non tenentur ratione beneficii vel ministerii. Quod si clerici et sacerdotes isti, qui a litando sacro ea die abstinent, ministerium exercent apud altare vel circa olea consecranda, sive in eadem ecclesia, ut beneficiati, vestibus choralibus induti intersunt Missae solemni seu conventuali, reviviscunt decreta et Caeremonialis praescriptum. Quocirca, si communicare nolint, ut pro aliis casibus S. R. C. censuit, abstineant ab interventu ; tunc non datur casus observantiae decretorum. Equidem qui sacrum celebraverit dispensatur, at decreta et can. 857 positive eum excludunt eique permittunt ut huic Missae assistere queat.

In praxi, facile Episcopi dispensant sacerdotes a longinquis paroeciis vocatos ad assistentiam pro consecratione Oleorum in Cathedrali peragenda ; at haec benigna est superioris concessio, quae eidem non adimit ius

cogendi ut omnes de clero communionem sumant de sua manu, si velint functioni sacrae assistere.

ART. IV. — *De tempore et de loco quo s. communio distribui potest.*

CAN. 867.

§ 1. *Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.*

§ 2. *Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.*

§ 3. *In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis.*

§ 4. *Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.*

§ 5. *Sacrum tamen Viaticum quacumque diei aut noctis hora ministrari potest.*

Ampla nobis panditur via ob diversos paragraphos quibus canon completur, qui omnes circa tempus quo sacra communio distribui potest, agunt. Paragraphus praemittitur, quo principium sancitur quod dies non agnoscit in quibus vetita sit distributio ss. Eucharistiae; subeunt tamen paragraphi qui limitationem ponunt quoad horas diei. Cum nulla quaestio agitari possit circa paragraphum primum, nostrum commentarium restringitur in sequentes.

Paragraphus secundus viaticum ad infirmos deferre permittit Feria VI in Parasceve, non vero in ecclesiis communionis administrationem. Liceat nobis rectius di-

cere : " A Missa conventuali Feriae V in Coena Domini ad dominicam solemnitatis Paschatis tantum ad infirmos licet communionem deferre per modum viatici, in ecclesiis vero, per idem tempus, communio distribui tantum potest inter Missarum sollemnia sabbati sancti vel continuo ac statim ab iis expletis „.

Iuvat in casu referre rubricam Missalis pro Feria V in Coena Domini, quae sic se habet : " Hodie sacerdos consecrat duas hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum : *reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis* „. Rubrica ergo cum limitet ad infirmos dispositionem suam, profecto excludit sanos, quibus integrum non est communicare a fine Missae illius.

Et adverte non ad quoscumque infirmos deferri posse communionem, sed tantum ad modum Viatici ; hac in re canon commentare dicendus est rubricam quae tantum infirmos innuit, quin discrimen ponat inter in periculo vitae constitutos et eos qui male affecti valetudine domi detinentur. Etiam nos qui haec scribimus, testes fuimus de quadam consuetudine (seu potius abusu) quae alicubi inolevit ob erratam interpretationem rubricae. In nonnullis ecclesiis enim comperimus, cum sacerdotes eo mane confessionibus recipiendis non essent occupati et aliunde functio praesanctificatorum serius locum haberet, satisfieri desiderio illorum qui, cum ad ecclesiam se conferre nequirent ob male affectam valetudinem his sacris diebus quibus plebs christiana paschali communione reficitur, non in longum distractam optabant receptionem communionis. Quam sacerdotes concedendam non dubitabant praesertim post s. m. Pii X decretum de communione

frequenti, cum sequentes dies operam eorum requirerent circa sanos.

De administratione Viatici Feria VI in Parasceve haec habet decretum S. R. C. in Lucana (2383), quod citatur in fontium annotatione: " Non est reprobandus Parochus qui defert Ss. Viaticum infirmo Feria VI in Parasceve dummodo private et submissa, quinimo submississima, voce recitet psalmos consuetos per vias pubblicas etiamsi dicat: *Gloria Patri, etc.*, quia in tali circumstantia actio talis nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiae huius diei: et considerandum est, quod deferri debet cum stola albi coloris, in qua Feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus; ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, populum absque benedictione dimittat Feria VI in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi „.

Verum cum a can. 864 § 3 declaretur " *Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum... pluries distinctis diebus, administrari et licet et decet* „, reprobandus non est parochus, qui praevidens impedimenta sequentium dierum, post Missam Feriae V vel per Feriam VI maioris hebdomadae denuo per modum Viatici communione donet suos paroecianos in discrimine vitae positos.

Dari ne potest aliqua exceptio pro sanis, ita ut, non obstante rubrica et canone, Feria VI in Parasceve liceat eos communicare? Casum resolutum habemus in *Ephemeridibus Lit.* inter " Acta Academiae Liturgicae Romanae „, anni 1915, p. 277. " Florentius parochus communicat milites qui in sua paroecia degunt, non tantum in Feria V et in Sabbato sancto, sed etiam Feria VI in Parasceve „. — Considerando specialissimam conditionem in

qua hisce nostris diebus (non agitur de tempore belli pro quo nullum dubium) extant milites, quibus conceditur tempus brevissimum pro adimplendo praecepto paschali, bona Mater Ecclesia tolerat, quod etiam in feria VI et sabbato sancto ante Missam communicari possint. — Agitur ex una parte de quadam necessitate, et ex alia, de lege ecclesiastica: quando ergo duae leges ecclesiasticae urgent, nempe, in casu nostro, lex adimplendi praeceptum paschale, et lex liturgica de non distribuenda communione, hisce in adiunctis, maius bonum animarum exigit, quod lex liturgica cedat locum legi communionis paschalis: et praecise hanc ob rationem pia Mater Ecclesia dispensat in casu. Si tamen non agatur de impraevisa circumstantia, requirendus est consensus superioris Auctoritatis „.

* * *

De disciplina inducta per decretum S. R. C. diei 28 aprilis 1914 ad II, pluries disceptatum est: illud decretum fons habetur § 3 huius canonis.

Ad dubium enim: " Quando in sabbato sancto distribui potest fidelibus sacra communio ? „, S. R. C. respondit: " Iuxta praxim et decreta, praesertim decr. 2561 Tifernaten. 28 martii 1806, licet in sabbato sancto inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa „. Hoc decretum variis subfuit interpretationibus praecipue eo quod non satis clare definitum erat circa Ecclesias, in quibus Missa celebrari nequit in sabbato sancto et occurrit casus administrationis, quod ex. gr. evenit in Ecclesiis seu Oratoriis monialium.

Canon hic quaestionem resolvere videtur ; at in unicam sententiam non devenerunt periti et proinde tantum has varias sententias fas est perpendere. Nonnulli communionem permissam autumant etiam si Missa locum non habuit ; ad summum requirunt ut his in ecclesiis expectetur sonus campanarum praecipuae ecclesiae loci et verba canonis proinde accipienda esse quasi tantum designarent tempus matutinum. Quidam tantum in Ecclesia in qua Missa reapse celebratur communionem distribui posse censent, at verba illa " continuo ac statim „ referunt ad tempus post expletam Missam et illud extendunt ad horam solitam qua per annum celebratio Missae permittitur. Plurimi vero a sensu verborum canonis non recedentes, strictam interpretationem sequuntur et illud " continuo ac statim „ ut " coniunctim „ habent ; quocirca iuxta eorum opinionem communio in sabbato sancto permittitur tantum si quid unum faciat cum Missa.

Equidem diversa est locutio decreti S. R. C. 28 aprilis 1914 ad II a locutione canonis. Legislatorem non latebat diversa interpretatio decreti in quo canon basim ponere debebat ; complevit ergo legislator sensum non satis explicitum decreti, verba " et etiam expleta Missa„ subtrahendo et locutionem immutando in " vel continuo ac statim ab iis (Missarum solemniis) expletis „. Salvo semper iudicio Supremae Auctoritatis, nobis videtur vim inferre in sensum verborum quicumque ad propria placita sustinenda a naturali et genuino sensu eorumdem recedit. Illud " nisi „, illud " vel continuo ac statim „ quomodo legislator dicendus est non perpendisse ? Lex

habebatur, in decreto S. R. C., quae pluribus sententiis obnoxia erat ; legislator qui manum suam admovit ad eam declarandum, forsan obscuriorem reddere sategit ?

Sunt qui contradictionem se invenire dicunt, inter hunc et canonem 846, qui admittit distributionem s. communionis *proxime* ante et *statim* post Missam privatam non vero, ante et post Missas conventuales et cantatas. Missa sabbati sancti, iuxta illos, numquam dici potest privata etsi non cantetur ; proinde ut componatur can. 867 § 3 cum canone 846 dicendum est illud " continuo ac statim „ non significare " incunctanter sine intervallo, non recedendo prius ab altari „ sed potius indicare ius ad distributionem continuo ac statim post Missam ea die incipi, non antea, nisi inter Missarum sollemnia.

Equidem verum est a canone 846 indirecte prohiberi administrationem Eucharistiae post Missas quae non sint privatae ; at Missa Sabbati Sancti lecta esse potest in minoribus ecclesiis, et proinde inter privatas recenseri potest, post quas administratio Eucharistiae permittitur. Absurda est propositio " Missa sabbati sancti, etiamsi legatur tantum, numquam est privata „ : nam vox " privata „ duplici sensu accipi potest, idest in oppositione ad " sollemnis „, et in oppositione ad " publica „. Missa sabbati sancti si lecta fuerit, privata est at " publica „, etsi in ecclesiis non cathedralibus et non collegiatis dici nequeat " conventualis „. Etiam Missa quam parochus die dominica vel festo de praecepto, etiam suppresso, celebrat, publica est quamvis tantum lecta, et manet privata si non cantatur. Privata enim dicitur sub omni acceptione Missa illa quae non celebratur vi publicae obligationis ab Ecclesia impositae sed a sacerdote

tamquam persona privata pro sua devotione vel in commodum privatorum. Nullibi tamen legitur can. 846 tantum has postremas Missas respicere, ita ut non liceat administrare communionem ex. gr. post Missam parochialem lectam. Aliunde decretum S. R. C. 4177 ad III Ord. FF. MM. Provinciae Apuliae, immerito profertur, respicit enimvero etiam Missam conventualem lectam, at ad conventualem reduci non potest quaecumque Missa lecta loco cantatae in ecclesiis quae onus chorale non habent. Et adverte, decretum S. R. C. ante Constitutionem " Divino afflatu „ emanatum fuisse ; forsan si S. R. C. interrogaretur : " an liceat immediate ante vel immediate post missam conventualem, quae dicitur extra chorum, si celebretur ad altare ubi asservatur ss. Sacramentum, communionem distribuere „ affirmative responderet. Habetur hoc in casu Missa publica privata, quae comparari nequit Missae conventuali lectae cum assistentia choralium celebratae. Spiritum decreti attendere opus est, non verba ; et sic intelligendus est etiam canon 846. Missa cantata seu lecta in choro manifesto respuit hanc additionem, eo magis quia nihil impedit quominus communio distribuatur inter Missarum sollemnia, et quia saepius in altari chorali non asservatur Ss. Eucharistia.

Ex dictis, iuxta nostram sententiam, posito principio de liceitate, quinimo de congruentia, administrationis s. communionis intra Missam cantatam vel lectam : *a)* Sustineri nequit opinio quae tenet licitam esse hanc administrationem in ecclesiis ubi Missa non celebratur ; non valet enim amplius interpretatio quae, sensum verborum contorcendo, a decr. 28 aprilis 1914 ad II nonnulli inferebant ; illud *nisi* et illud *continuo ac statim* ve-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

rificari nequeunt hoc in casu. - *b*) Extendi nequit tempus utile pro administranda communione ab expleta Missa sabbati sancti ad horam qua ceteris per annum diebus communio distribui potest, nec invocandus est sequens § 4 canonis quoad verba " nisi aliud rationabilis causa suadeat „, nam ea verba, ut vidimus, etiam in feria VI in Parasceve citanda venirent. Codex enim de casibus extraordinariis curam non habet et pro eis ad communia principia remittit; aliunde legislator non usus esset peculiari paragrapho pro sabbato sancto prout nec usus est pro feria V in Coena Domini. — *c*) Admitti debet etiam hic posse valere canonem 846, proinde post Missam cantatam et etiam lectam sed stricto sensu conventualem illicitam esse administrationem communionis continuo ac statim post eam; sed dicimus *posse*, nam canon iste quit etiam exceptionem constituere. Mirum est quod in Ephemeridibus Lit. scripsit d. Fourneret (a. 1919, p. 296-297): " Obstaret etiam, praesertim in cathedralibus et collegiatis ecclesiis, absentia tabernaculi in altari maiori ad quod sacra functio peragitur, in quo recondatur Sacramentum, quod semper oporteret, in dubio an quis petat finita Missa, in ipsa Missa conficere; sin minus necesse esset ut alius sacerdos accurreret Sacramentum delaturus e loco in quo reconditum fuerat feria V, vix dum terminatur Missa. Quod si, ut aliquo modo salvum maneat principium simulque servetur Codex, adhibeatur hoc expediens, ut continuo ac statim accedat sacerdos alius, non videretur nisi pia fraus in legem, praeter quam quod multa inconvenientia exorirentur, ex praepopera festinatione, ex confusione populi ab ecclesia exeuntis, ex inservientium occupatione circa sacros ministros redeuntes ab altari;

praesertim vero ubi unicus a dest sacerdos, idem qui celebravit „. In praxi aliter res se habet. In unica Missa huius diei, ut satisfiat ante primam Missam sequentis solemnitatis pietati fidelium, quibus incommoda foret communio intra Missam, fere ubique, saltem in ecclesiis observantioribus et prudentioribus, ss. Eucharistia consecratur non tantum pro communione in Missa administranda sed etiam, ut diximus, pro necessitate sequentis diei, et finita communione, quin fiat ad normam Caeremonialis (II, c. XXIX, 7) translatio pyxidis ad altare ss. Sacramenti, pyxis reponitur in tabernaculo precario in altari maiori erecto, ut translatio fiat absque functionis et ministrorum incommodo. Fraus in legem in hoc inveniri nequit ; nec lex fraudatur si "continuo ac statim„ accedat sacerdos qui delaturus est pyxidem al altare proprium ss. Sacramenti, et antequam peragat translationem communionem distribuat iis qui in Missa non communicarunt, vel etiam illam administret postquam pervenerit ad altare in quo reponenda est pyxis ; habetur semper " continuo ac statim a Missarum sollemniis expletis„. *d*) Si Missa fuerit lecta, sine ulla dubitatione, in ecclesiis ubi onus chorale non habetur, a maiori, licita habenda est haec praxis, etsi illa Missa sit publica-privata.

* * *

Paragraphi quarti prima pars accipienda est ut sonat ; etenim refertur ad ius commune non etiam ad privilegia. Quapropter si quis gaudeat indulto anticipandi vet posticipandi duabus horis Missam, iuxta hanc canonis partem, s. communionem administrare praesentibus nequiret.

Revera in fontium annotatione citatur decretum in Tuden. 2572 ad 23, quod sic se habet : " An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Iubilaeum possit administrari sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem. — *Resp.* In casu de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur, vel ad formam Rubricae, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi „. Verum deleta sunt haec postrema verba in canone, suffecta iisdem sunt alia " nisi aliud rationabilis causa suadeat „. Equidem suum canon non facit dubium propositum a FF. MM. Provinciae Portugalliae, qui a S. R. C. petierunt num liceat communionis distributio usque ad occasum solis (decr. 4136) ; tamen nullam limitationem posuit, et causam gravem non requirit, sed tantum rationabilem quae semper vel fere ubique inveniri potest.

Diximus primam partem canonis referri ad ius commune ; verum quid dicendum de communione in nocte Nativitatis Domini ?

A codice enim ad ius commune Missae hac nocte celebrandae reducuntur quae sint conventuales vel paroeciales (can. 821 § 2), vel quae celebrantur apud religiosas familias et pias domus oratorium proprium habentes, in quo habitualiter asservatur ss. Eucharistia (can. 821 § 3). Attamen adverte, si in ecclesiis et oratoriis religiosarum familiarum, absque ulla dubitatione, sacram communionem ministrare potest qui missam celebrat (non alii) omnibus petentibus, etsi ad religiosam familiam vel ad piam domum non pertineant, nam canon hoc expresse edicit, quaestionem moveri posse quoad Missam paroecialem vel conventualem, videlicet, an in

ipsa quoque communio distribui possit. Et responsio videtur evidens : codex cum exceptionem admittere vult, non ambigitur, eo magis si in uno canone res contentiosa inveniatur. Facile legislator in unico paragrapho canonis 821 comprehendere poterat ea quae edicuntur in § 2 et § 3, si una eademque fuisset eius circa administrationem communionis ratio. Verum, quia in religiosis piis domibus haberi potest quaedam comprobatio (vulgo *controllo*) eorum qui ad sacram synaxim accedunt, communio sine limitatione, dummodo omnia concurrant quae in commentario canonis illius diximus, permittitur; cum eadem comprobatio pluribus scateat incommodis in ecclesiis parochialibus et magis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, canon idem ius non concedit ; necessarium est proinde indultum apostolicum ut communio administrari possit. In aliam sententiam abit qui in Ephemeridibus Lit. (a. 1919, pag. 223) quaestionem hanc sategit dilucidare. Attamen eius argumentatio non currit ; praesupponit enim canonem 867 § 4 statuere ius de iure, nempe, quando ius est celebrandi Missam, tunc et ius esse distribuendi communionem, et proinde, quia in pachiali ecclesia ius est media nocte Nativitatis celebrandi unicam Missam (can. 821 § 2), in hac licere communionis distributionem. Verum canon 867 § 4 tantum relationem habet cum can. 821 § 1 ; de unico casu Missae ante auroram, qui communis non est omnibus ecclesiis, curam non habet, eo magis quia datur exceptio pro oratoriis religiosorum etc. Nescimus quomodo possit dilucidissima distinctio a legislatore facta inter § 2 et § 3 can. 821 quoad communionem, dubium non tantum ingerere sed etiam certitudinem praebere de permissa

communionem in Missa paroeciali vel conventuali, eo tantum quia can. 867 § 4 dicit sacram communionem distribui posse horis quibus Missae sacrificium offerri potest.

* * *

Paragraphus quintus pro administratione Viatici non admittit limitationem dierum et horarum; cohaeret cum iis quae super hanc rem traduntur a Rituali Romano (tit. IV, c. 4, n. 10) et a can. 867 § 2.) Attamen redarguendi sunt qui horas nocturnas expectant, eo tantum quia tunc modus datur deferendi communionem privatim ; canon tantum innuit in necessitate non dari limitationem. Quae in hunc paragraphum dicenda forent, iam in commentario cann. 847–855 et 867 § 2 perpensa fuerunt.

CAN. 868.

Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat.

Non amplius est admittenda interpretatio decreti S. R. C. 8323 ad II iuxta quod, etsi amitteretur altare e conspectu, dummodo vox celebrantis audiri potuisset, communio inter Missae celebrationem administrari poterat infirmis in cubiculis degentibus ; abrogatum proinde dicendum est illud decretum et doctrinam sequendam quae continetur in decr. S. R. C. 2885, 3099 I, 3448 VIII. Ad calcem canonis uti fontes citantur tantum haec postrema decreta, decr. vero 3322 non invenitur (Cfr. *Ephem. Lit.* a. 1919, pag. 221 et 1920, pag. 154).

CAN. 869.

Sacra communio distribui potest ubicumque Missam

celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

Per hunc canonem codificatur decr. S. R. C. 4201, cuius summa est: " Oratorii privati indultis intelligitur inclusa facultas sacram communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus „. Nil impedit etiam quominus sub dio communio distribuatur quotiescumque permissa est sub dio celebratio Missae. Idem valet si quis altaris portatilis privilegio fruitur. Inter iustas causas ob quas Ordinarius vetare potest distributionem communionis in oratoriis privatis, certe adnumerandum est praeiudicium iurium parochialium. Adverte quae diximus in commentario canonis 846 § 1.

TITULUS IV.

DE POENITENTIA

CAPUT I.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

CAN. 885.

Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur.

Preces quae innuuntur a canone, exhibentur a Rituali romano sub nn. 1, 2, 3 tit. III, c. 2, nempe: "Misereatur tui..., Indulgentiam..., Passio Domini nostri... „; formula vero absolutoria ordinaria incipit per verba: "Dominus noster Iesus Christus te absolvat... „; urgente tamen aliqua gravi necessitate, quam Rituale (l. c., n. 5) tantum in periculo mortis admittit, formula absolutoria est: "Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris etc. „.

Canon 733, § 1, iam edixerat: "In Sacramentis... administrandis... accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur „.

Rituale causam, de qua in canone est sermo, iustam edicit "in confessionibus frequentioribus, et brevioribus „, in quibus satis erit dicere: "Dominus noster etc. „. usque ad illud: "Passio Domini nostri etc: „ (l. c., n. 4).

" Certe, ait Baruffaldus (Ad Rit. Rom. Comment., tit. XIX, 5), occasione magni concursus, puta insignis solemnitatis et indulgentiae universalis et plenariae, seu Jubilaei, dum ante sedes confessionales stipantur poenitentes in magno numero, quaerendus est sollicitior modus expediendi se, ut populo satisfieri possit. Ideo in hoc casu rubrica praescribit modum tenendum, et secernit formam necessariam, seu verba restrictiora in forma absolutionis „.

Attamen neque a rubrica neque a canone praxis permittitur, quae ab eodem auctore profertur quasi licita, nempe occasione magnae frequentiae, totam formam absolutionis perstringendi ad illa verba : " Ego te absolvo... in nomine etc. „ ; hac, ut vidimus, additis verbis " ab omnibus censuris „, uti possunt et debent confessarii et ceteri sacerdotes cum morientibus tantum.

Breviores confessiones, iuxta mentem Ritualis, sunt quae peraguntur saepius a poenitente et quae post absolutionem locum habent, cum quis recordetur peccatum omissum in praecedenti confessione.

Reapse, si nimis litterae inhaeremus, nunquam vel rarissime preces, formulae absolutoriae adiunctae, dicendae veniunt, nam obligatoriae tantummodo essent quoties accedit poenitens qui raro confitetur, iis diebus, horis et loco cum confessarius non urgetur ab aliis poenitentibus, quae omnia in praxi raro contigere possunt, nam plerumque fideles de mundanda conscientia parum solliciti ad sacramenta accedunt quando habetur concursus ob peculiarem aliquam festivitatem.

Proinde spiritum rubricae potius attendere debet confessarius : illae preces, valde salutares, sunt ordinarie

dicendae, et pro libito non omittendae; adsit semper iusta causa, ut innuit canon, quam rerum adiuncta indicabunt, pro earum omissione.

Iuxta Aa., si poenitens non absolvatur, confessarius dicere potest *Misereatur* et deinde, elevata manu, *Indulgentiam*, illum in fine signando, sine qua elevatione manus et benedictione nullus poenitens quantumvis indispositus dimittti potest.

CAPUT IV.

DE LOCO AD CONFESSIONES EXCIPIENDAS

CAN. 908.

Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semipublicum.

Rituale Romanum (tit. III, c. I, n. 7) mandat ut confessarius " in Ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare„.

Codex exceptiones ponit per seq. can. 910; hic principium ponit: tantum ecclesiam habendam esse tamquam locum refugii peccatorum et confugii poenitentium. Interpretatur etiam vocem " Ecclesia„ a Rituali adhibitam. Iuxta can. 1161: " Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum „. Verum haec vocabuli acceptio a communi praxi, quoad locum ad excipiendas confessiones, semper habita est tamquam valde rigida, ita ut, absque ulla formidine errandi, sedes confessionales erigerentur etiam in oratoriis publicis quae suum habeant sacerdotem

et in oratoriis semi-publicis, etsi haec postrema non eo dem iure regantur ac ecclesiae (cfr. can. 1911, § 1 et cann. 1192, 93). Quae fuit communis interpretatio vocis " Ecclesia „ modo auctoritative a Codice comprobatur.

CAN. 909.

§ 1. *Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.*

§ 2. *Sedes confessionalis crate fixa et tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa.*

Rituale Romanum (l. c., n. 8) circa hanc materiam haec statuit: " Habeat [confessarius] in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat: quae sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sit instructa „. Codex ergo iisdem verbis utitur ac Rituale, tamen verba addita " ad audiendas mulierum confessiones „ dubium ingesserunt quasi sedes confessionales a canone descriptae pro excipiendis confessionibus virorum inopportunae haberentur a Codice.

Hinc Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, ad propositum dubium respondit: sedem confessionalem, crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium instructam, esse formam propriam audiendi confessiones in ecclesiis et publicis oratoriis, servandam pro poenitentibus generatim, tum mulieribus tum viris, firmo tamen praescripto canonis 910, § 2, quo permittitur in aedibus privatis confessio virorum (24 nov. 1920).

De huius responsi momento sermo erit infra; modo aliqua quae pressius canonem dilucidant vel quasi complent innuimus.

Sedes confessionalis tabulis ligneis componitur, illam hinc inde, superius et inferius claudentibus, cum basi a pavimento elevata, cum postergali pariter ex tabulis; sola anterior pars est aperta, quae tamen clauditur parva et humili porta.

Vera sedes pro confessario commoda esse debet, nempe non nimis retro collocata nec prealta, habere spatium satis amplum ante crura, ut haec commode se habeant in sessione. Fixae vel mobiles assulae collocantur in utroque latere interno, super quas confessarius cubitis innitatur dum poenitentes audit. Ne videatur facies confessarii et externe praesentia eiusdem appareat, a parte anteriori velum non appendatur, sed, ut vult praxis ecclesiarum observantiorum, adsint superiores postes dimidiatae. In medio utriusque tabulae divisoriae, accommoda quoad altitudinem faciei confessarii sedentis et poenitentis genuflexi, apertura interiicienda est instar fenestellae quadrangularis. Huic fenestellae a parte poenitentis affixa debet esse lamina ex ferro vel ex alio metallo terso cum crebris foraminibus. Cratis foramina non debent esse ita angusta ut vox difficile audiatur, nec multo minus ita aperta ut, ac si crates non habeatur, clare videatur persona. Nonnullae ecclesiae solent applicare a parte confessarii, contra cratem, velum densum subnigri coloris, at prorsus inutilis est talis appositio si foramina cratis ad instar ciceris sint, vox magis deperditur et necessaria mundities cratis difficilior et proinde rarior evadit; tantum serventur ea quae a rubrica Ritualis et a

canone Codicis praescribuntur, et zelus in has minutiores et arbitrarias normas impensus servetur potius in commodum poenitentis. Etenim talia habentur confessionalia quae omnem commoditatem negant poenitenti. Sit huius scabellum commodum et amplum tam pro utroque genu quam pro cubitis, ut manus possint iunctae permanere dum poenitens facie accedit ad fenestellam quin deformitatem pariant; si possibile est, persona poenitentis quasi ab oculis ceterorum abstrahatur per opportunam tabularum dispositionem, vel saltem alio asserculo disiungatur a ceteris etiam ne vox mutua audiatur.

Super fenestellam a parte poenitentis apponitur imago crucifixi vel boni pastoris, vel filii prodigi, aut similis: prudenter apponitur etiam formula " actus doloris seu contritionis „ ; a parte vero confessarii alia devota imago et saltem tabella casuum in dioecesi reservatorum (quae modo tantum extraneis confessariis inservit, nam diocesani, cum ad summum quatuor esse possint casus, eos ignorare non debent).

Fenestella ostiolo ligneo a parte confessarii opportune intruitur ad hoc, ut vox confessarii ac poenitentis ex una parte loquentium non audiatur ab altera parte. Diximus confessionale et in superiori parte asseribus regulariter coopertum, at non reprobantur confessionalia quae formam cathedrae praeseferunt, dummodo cetera omnia componantur ut supra; minus gravis ob permeantem aerem fit diuturna confessarii sessio.

Numerus confessionalium in unaquaque ecclesia respondere debet numero tum fidelium accedentium, tum confessariorum qui ibi solent praestare proprium munus, habito etiam respectu ad praecipuas anni solemnitates.

Verum in frequentiori populi concursu sufficiunt confessionalia mobilia. Forma harum sedium confessionalium simplicior est, constant enim unico latere omnimode instructo ac in integris confessionalibus, et collocantur in aliquo opportuno et conspicuo angulo ecclesiae; sedes confessarii communis est, ideoque mobilis; aliquo modo pars superior eius corporis occultatur, vel etiam omnino relinquitur aperta. Removentur quoties eorum usus non fuerit necessarius.

" Opportunum erit ut iam inde ab ecclesiae aedificatione confessionalia, ubi et quomodo collocanda sint, curetur; an in muro aliquantulum sint intromittenda, an in spatiis intermediis constitui praestet... (De Amicis, *Caer. Paroch.*, vol. I, pag. 56) „.

" Sedes confessionalis posita esse debet in apto ecclesiae loco, satis ab altaribus remoto, et ita patenti ut undique conspici possit; non autem in angulis aut parvis sacellis, neque in aliis secretis ecclesiae locis. Unde: 1° cum sacristia *conspicuus* ecclesiae locus dici non possit, ibidem confessiones... mulierum excipi nequeunt, nisi poenitentis, quae morbo, vel infirmitate aut alia gravi ratione in confessionali se sistere non valeat, vel tali surditate laboret ut confiteri non possit quin ab aliis audiatur; 2° cum locus debeat esse conspicuus, sequitur non esse excipiendas confessiones... mulierum, ante vel post lucem diei, vel si tenebrae sint, lumen apponendum esse, uti plures synodi praescribunt „. (De Herdt, Prax. Lit. Rit. Rom., ed. IV, pag. 43).

Patens et apertus locus habetur in partibus lateralibus ecclesiae, et quantum fieri potest unum confessionale stet e regione alterius. " In capellis tamen amplis tolera-

tur et permittitur confessionale, dummodo huismodi capellae amplae, circumdatae cancellis sint, hoc pacto, quod confessarius intra cancellos stet, et poenitens extra eos et ambo publice pateant (Caval. apud Baruffaldum *l. c.*) „.

Mos nostris temporibus invaluit ut sedes confessionalis supra descripta haberetur reservata mulieribus, et virorum confessiones exciperentur tantum in sacrario vel in appositis cellis. Huiusmodi praxis videtur tempore Baruffaldi nota; scribit enim: "In oratoriis et cubiculis ecclesiae adnexis, solent, praecipue apud regulares, aliae sedes confessionales construi, quae haec duo necessario habent, scilicet, sedem pro confessario, et scabellum pro poenitente ad genuflectendum, *cum crate*, quae auscultationem dividat (titulus XVIII, § III, 16) „.

Verum superius dixerat (ib., 15): "Nusquam minus bino confessionale prostet in ecclesia. Ad unum ut masculi, ad alterum vero, ut foeminae accedant, ut evitetur scandalum promiscuae affluentiae tam mulierum, quam virorum „. At liquido ex dictis patet sub fine saec. XVIII prorsus incognitam fuisse praxim, quae tantum admittit sedem pro confessario et scabellum pro poenitente absque crate; nam de ea certius praelaudatus auctor locutus esset, eo magis quia aliam praxim innuit suo tempore propriam in nonnullis adiunctis: "Tempore magni concursus, et occasione sacrarum missionum apostolicarum in locis ruralibus, vidi olim, ut expeditius populus posset peccata confiteri, per sacerdotes in vasto spatio distributos portari *cratem* manualem et scamnum plicatile, quo huc et illuc se tranferebant ad audiendas *utriusque* sexus sacramentales confessione (*l. c.*, 18) „.

De Herdt (*l. c.*), qui consentit Baruffaldo, cratem hanc manualem non sufficientem esse declarat, cum confessarius a poenitente totaliter disiungendus sit, ut finis legis attingatur.

Opportune Commissio per citatam declarationem diei 24 novembris 1920 antiquam praxim servandam edicit, et ubi in desuetudinem abiit denuo revocandam in usum.

Equidem § 1 can. 909 confessionalia pro mulieribus respicit quoad locum in quo collocanda sunt; § 2 denuo de sede confessionali agit quin de mulieribus sermo instituatur; ponitur ergo primo regula particularis dein regula communis pro qualicumque sede confessionali. Non requiritur ergo pro confessionali virorum locus patens et conspicuus, servari potest mos peculiarium cubiculorum, at omnimode requiritur *crates*, ut iam suo tempore Baruffaldus, praesertim apud regulares, morem viderat inductum.

Ut finis legis obtineatur, sufficiens non est crates manualis; inter poenitentem et confessarium vera divisio statuit debet, quae haberi nequit si servari velint hodierna cubicula. Vult pia mater Ecclesiae non tantum ut tollatur materia delinquendi, sed etiam ut consulatur naturali erubescentiae quam quis, sive mulier sive vir, experitur in confessione admissorum facie ad faciem. Forsan ob usum cubiculorum ad excipiendas confessiones frequentia virorum ad hoc tribunal imminuta est: quis novit psychologiam laicorum? Proinde curandum est ut eadem regula servetur pro viris quae servatur pro mulieribus; habeat poenitens pavidus et se non patefaciendi praeoptans adminicula quae confessionem suam facilem et sinceram reddunt. Si cubicula servari velint, cubiculum sit

tantum pro confessario, postis cubiculi reddatur aptum scabellum pro poenitente et in eo fenestella cum crate aperiatur, vel in cubiculo dimidiatum supradescriptum confessionale ponatur.

CAN. 910.

§ 1. *Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit.*

§ 2. *Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.*

Causae necessitatis praeterquam in casu infirmitatis haberi possunt ex. gr. si femina est surda, vel muta et per signa peccata sua confiteri potest, vel si per interpretem vult confiteri, vel etiam ubi urgeat praeceptum et facilis accessus non sit ad ecclesiam instructam confessionali. " Pro surdis mulieribus, saltem in ecclesiis magis frequentatis, haberi deberent confessionalia in loco clauso, sed per vitra conspicuo (De Amicis, o. c.) „ ; pro infirmis Aa. ut apertum sit cubiculi ostium requirunt, quod semper servandum est etiam in aliis casibus cum necessitas urgeat audiendi confessiones extra sedem solitam.

Si Codex requirit in ecclesiis et oratoriis etiam pro viris sedem confessionalem instructam crate, permittit tamen ut in conspectu in aedibus privatis viri confiteantur.

Absona non est haec dispositio et aliunde consuetudinem iamdiu lateque pervulgatam confirmat. Etenim admittendum est eos, qui se conferunt apud confessarium, in eius privatam domum vel apud se vocant confessarium, valedixisse erubescentiae et cessisse proprio iuri nempe peccato proprio confitendi ad discretam cratem.

TITULUS V.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS

CAN. 938.

§ 1. *Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos.*

§ 2. *Salvo praescripto can. 397 n. 3, 514 §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesnmpta parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest.*

Essentialia huius sacramenti C. I. C. recenset per can. 937: "Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta „. Cum haec omnia in seq. cap. III ab eodem Codice denuo examinentur, canonis huius commentarium suo loco instituemus.

Quod attinet ad can. 938 materia satis trita est, attamen non inutilis erit aliqualis explanatio.

In § 1 agitur "de validitate „ administrationis; in § 2 "de liceitate „.

Quod sit *solus* sacerdos minister extremae unctionis habetur ex Epistola s. Iacobi (c. 5); ex eadem evinci etiam potest, quod *omnis* sacerdos eadem polleat facultate, nam sacerdotes seu presbyteri sine ulla exceptione

nominantur. Validum est ergo sacramentum etsi conferatur a sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, contradicente etiam parocho vel ordinario loci ; enimvero qui potestatem ordinariam retinet, non amittit potestatem administrandi sacramenta quae iurisdictionem non requirunt.

Quamvis in Epistola s. Iacobi legatur " inducat presbyteros „, non ita proprium est presbyterorum sacramentum extremae unctionis administrare, ut illud conferre episcopis non liceat. In percelebri epistola Innocentii I ad Decentium legimus : " Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt „. Benedictus XIV, doctrinam s. Thomae sequens, ait : " Episcopi se habent veluti universales causae, quae proxime et per se non operantur effectus illos, qui a causis particularibus induci debent, nisi cum rariores aliqui, urgentioresque casus usitatum rerum ordinem immutarunt ; parochi vero tamquam particulares causae sunt constituti, ideoque proximi administri sacramentorum, quae populo administrari oportet „.

Vim inferendo in acceptionem vocis " solus „ a C. I. C. intentam, ex eadem eruere etiam aliquis potest non esse licitum, apud nos latinos, quod unctiones fiant a pluribus. Equidem, iuxta Martene (De ant. Eccl. rit. I, c, 7, a. 3), etsi non firma, constans atque universalis, in ecclesia quoque latina consuetudo erat ut a pluribus sacramentum hoc administraretur ; attamen saepius ex antiquis monumentis, ab eodem productis, constat infirmos

ab unico sacerdote inunctos, praesertim in casu necessitatis. Modo non recedendum est a norma in Rituali praescripta ; verumtamen ratum erit sacramentum si plures presbyteri simul sensus inungant cum debita forma.

Parochus loci, in quo degit infirmus, minister ordinarius dicitur, nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine eiusdem parochi licentia, in parochiali territorio, sacro oleo aegrotantes inungere. Consectarium hoc est can. 850 et eaedem exceptiones inducuntur quoad administrationem Episcopo decumbenti et in religiosis domibus.

De casu necessitatis inutilis prorsus evadit sermo, nam hic dicenda venirent quae dicta sunt circa collationem baptismi ed administrationem viatici, dummodo excipias casum diaconi, qui, ut patet, numquam extremae unctionis minister extraordinarius esse potest.

Licentia parochi seu Ordinarti supponitur concessa quoties aliquis sacerdos datur in parochi cooperatorem (cfr. can. 476, § 6) et rationabiliter praesumitur quoties urgeat necessitas et absit parochus seu delegatus, vel periculum sit in mora.

Extra casum necessitatis nequeunt regulares, absque licentia parochi, administrare extremam unctionem advenis, qui in eorum conventibus infirmantur (S. C. C. in Monopolitan. 27 sept. 1670) ; at facile praesumitur haec licentia, si parochus iam cessit iuri suo in administratione viatici.

CAN. 939.

Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos.

Corollarium praecedentis canonis hic profertur. At,

adverte: Canon non utitur voce " parochus „, sed significantius verbum adhibet, nempe " *minister ordinarius* „. Ita eadem obligatione ac parochus tenentur etiam:

a) Superior religionis clericalis erga professos, novitios ceterosve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis;

b) Ordinarius confessarius in monialium domo; etenim a can. 514 iisdem ius et officium committitur administrandi extremam unctionem.

Ordinarius loci, etsi constituatur universi gregis in suo territorio degentis pastor, tenetur ex iustitia tantum in peculiaribus adiunctis, nempe si nemo adsit qui sacramentum administrare queat (Cfr. Bened. XIV, De Syn. Dioec., XIII, c. 19, n. 6).

Haec obligatio non patitur exceptionem; quapropter minister ordinarius etiam cum periculo contagii tenetur per se vel per alium ministrare hoc sacramentum moribundo peste infecto, etsi hic receperit sacramentum poenitentiae et proinde infirmus non esset in extrema necessitate. Attamen, iuxta communem sententiam, tum tenetur minister ordinarius quatenus valeat, absque morali vitae periculo, administrare hoc sacramentum peste laborantibus.

CAPUT II.

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

CAN. 940.

§. 1. *Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur.*

§. 2. *In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.*

Ad § 1 commentarium instituere possumus per verba cl. Ferraris (Extr. Unct. 34-37) : " Subiectum capax huius sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax, in periculo probabili mortis, ex morbo, vulnere, partu, senectute et morsu rabido. Pueris usum rationis habentibus dari potest (modo : *dari debet*) extrema unctio etiam antequam ad ss. Eucharistiam admittantur.... Nec potest dari hoc sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut praeliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinae, et huiusmodi, quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi, quibus solum est administranda extrema unctio, iuxta textum divi Iacobi cap. 5 : *Infirmatur quis in vobis?* etc. „.

Aegritudo vera et propria non requiritur in decrepita aetate : sufficit, ut licite administretur his senibus, quod hi videantur in dies morituri, " ipsa enim gravis et annosa senectus, infirmitas est, quae interiora vitae organa labefactat, et mox ducit ad interitum (Bened. XIV, o c., VIII, cap. 5, n. 2) „.

Parturientibus tum solum conferri extrema unctio licite potest, si in proximo vitae periculo seu, melius, in articulo mortis versantur, v. g. si vehementi sanguinis profluvio, interna dilaceratione, spasmis eclampticis etc. status vitae periculosus adducatur.

Ante mortiferam aliquam operationem tum solum licet sacram unctionem administrare, si morbus, ille, qui operationem exigit, ipse per se vitae periculum secum

fert, v. g. in sectione caesarea, quum partus alia ratione fieri nullatenus possit. Quod si infirmitas per se non est mortifera, s. unctionem administrare non licet ante operationem quamvis mortiferam, quae ad curandum morbum instituenda est. Exempli causa, si propter malignum tumorem, qui in posterum quidem, sed non statim vitae periculosus sit, gravis et mortifera operatio facienda esset, illud vitae periculum, quod in ipsa operatione oriretur, non directe ex morbo proveniret, sed operatione demum productum vel propius effectum esset, quare tum s. unctionem conferre non liceret.

Iuxta doctrinam s. Thomae (in 4, dist. 23, quest 2, a. 2): " Nulli debet dari sacramentum, cui non competit forma sacramenti; sed forma huius sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum et auditum, ut in forma exprimitur: ergo eis non debet dari hoc sacramentum „. Cornelius a Lapide (in comm. ad epist. s. Iacobi, c. 5, v. 14) merito refellit opinionem iuxta quam nonnulli asseruerunt, olim consuevisse etiam infantes oleo infirmorum inungi; et huic sententiae consentit Martene (o. c., l. I, c. 7, a. 1) qui e vetustis monumentis ostendit nunquam aliam fuisse doctrinam et praxim Ecclesiae hanc super rem.

" Labente saec. XI et ineunte XII hac nonnulli imbuti erant opinione, ut illicitum reputarent, fidelem sancto oleo semel inunctum, unquam deinceps eodem linire; et, si vera narrarent Giacconius et Ughellius, eadem opinio, saltem apud aliquos, etiam saec. XV perseverasset; ambo enim referunt disputatum fuisse, an summo Pontifici Pio II graviter aegrotanti, administrari posset extrema unctio, eo quod pluribus antea annis eam recepisset Basileae,

cum peste laboraret, quae in ea urbe grassabatur.... Opit nabantur alii, extremam unctionem posse iterum eidem conferri, modo tamen a die, qua semel inunctus fuerat, tres integri anni effluxissent.... Censuerunt denique alii... non licere, extremam unctionem intra eiusdem anni spatiu repetere, etiamsi contingeret, quempiam in periculosum morbum iterato incidere.... Equidem iamdiu antea praevaluerat, et communi usu recepta, atque approbata fuerat sententia, huius sacramenti iterationem permittens, quotiescumque fidelis in novum incidit morbum, et in diversum adducitur vitae discrimen. Ideo enim, uti ratiocinatur s. Thomas....: Sacramentum, qu d habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis, et mentis, quae est effectus huiusmodi Sacramenti, potes amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum, sine sui iniuria, potest iterari. Durante autem eadem infirmitate, si post susceptam extremam unctionem morbus ita remittat, ut aegrotus mortis periculum evasisse videatur, sed, antequam convalescat, iterum in vitae discrimen relabatur, etiam iuxta praesentem disciplinam, poterit, absque scrupulo, denuo sacra unctione muniri; quemadmodum diserte tradit D. Thomas inquiens: – Hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet dari, nisi infirmis, qui secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Quaedam ergo infirmitates non sunt diuturnae; unde, si in eis datur hoc sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat, quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata; et ita iterum non debet inungi: sed, si recidivum

patiatur, erit alia infirmitas, et poterit fieri alia inunctio. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae, ut hectica, et hydropisis, et huiusmodi: et in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: et, si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi; quia iam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.... Parochi ne nimium scrupulosi in hoc se gerant; sed, si dubitant, an revera morbi status sit mutatus, seu num idem, vel diversum sit vitae periculum, in quo aegrotus versatur, expedit, ut ad sacramenti iterationem propendeant, eo quod haec iteratio conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniat (Bened. XIV, o. c., l. VIII, c. 8, passim) „.

Cohaeret haec de iteratione doctrina, doctrinae a Rituali romano traditae: " In eadem infirmitate hoc Sacramenthm iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat „. Rituale card. Sanctorii (pag. 324), e quo romanum sumpsit exordium, haec habet: " In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, et infirmus, cum visus esset melius se habere, iterum in periculum mortis incidit „. Rursus, card. Sanctorius suam fecit sententiam, infallibili auctoritate ab Em. Patribus Concilii Tridentini firmatam: " Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidiis iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint (sess. 14, c. 3) „. Codex I. C., ergo nil novi per hunc canonem statuit.

Can. 941.

Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub condicione.

In fontium adnotatione indicatur solum Rituale romanum, quod re vera haec tantummodo in editione typica 1913 habet: (Presbyter) si dubitet an vivat adhuc, Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam* etc. „. Codex optime casus quoque considerat, qui pastores animarum anxios reddere queunt, ob dubium circa aetatem et usum rationis necnon circa morbi periculosam gravitatem. Equidem, nova editio Ritualis, quae paratur, opportune indicabit quaenam verba erunt adhibenda in his casibus ad conditionalem formam.

Primus casus frequenter modo occurrit, cum non amplius sustineri possit doctrina, quae firmiorem illam aetatem requirebat, qua sacramenti poenitentiae capaces pueri censentur. Prae oculis enim habendus est canon 88, § 3, et decr. S. D. de Sacramentis 8 augusti 1910: si dubium occurrit, formula conditionalis adhibenda est.

Alter casus pariter frequentissimus est, non enim requiritur in sacerdote scientia medicorum propria, et oculus clinicus talis ut circa cuiuslibet morbi exitum iudicium saltem probabile ferre possit. Ceterum, presbyter male se gereret si sancto oleo tunc tantum liniret infirmos, cum prorsus desperata salute, iamiam essent extremum spiritum exhalaturi. Huic incommodo succurrit Codex, auctoritative sententiam nonnullorum theologorum exhibens, a qua sacramenti honori consulitur et necessitati infirmi.

Codex, ut Rituale romanum, facta ultima expiratione regulariter hominem mortuum esse censet, quamvis interdum forte plura minuta transeant, priusquam ultimum vitae vestigium disparuerit. Post ultimam expirationem, iuxta sententiam recentiorum, per tempus quo vita latens perdurat, sacramenta poenitentiae et extremae unctionis conferri possunt, immo debent, etsi eadem vita latens omnibus exterioribus manifestationibus careat. Etenim sententia doctorum est in casibus mortis repentinae probabiliter vitam latentem perdurare per unam, duas horas et amplius; in ceteris casibus mortis ordinariae posse perdurare per quadrantem et etiam per dimidiam horam. Equidem, cum de huius vitae latentis cursu certa notitia haberi nequeat, sacramenta conditionate administrari possunt et debent. A theologis maximi fit haec sententia, et pro tuto habetur abministrationem extremae unctionis praecipue conferendam esse, cum ex parte subiecti minus requiratur pro valore huius sacramenti, quam pro absolutione. " Quod vero haec ratio agendi possit esse causa scandali apud fideles, qui putare queunt Sacramenta conferri licere et mortuis, non est cur sacerdos hanc administrationem omittat; sufficit enim ut eos moneat de incertitudine momenti mortis realis et omnia haec fieri tantum ad providendum aeternae hominis saluti. Quae monitio tollet omnino admirationem et fideles pluris facient studium et charitatem sacerdotis, qui nil omittit ad salvandas animas ad aeternam Dei gloriam possidendam destinatas (Antonelli, *Medicina Past.*, edit. alt., vol. II, pag. 298) „.

CAN. 942.

Hoc sacramentum non est conferendum illis qui im–

poenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.

In fontium annotatione citatur Rituale romanum (l. c., n. 8); at verba Ritualis iuxta editionem typicam 1913, de conditionata administratione non loquuntur: " Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur „. Illud " penitus denegetur „, equidem, a Rituali induci debuit eo quod voluit sub unico numero recensere etiam non baptizatos. Communis enim sententia fuit baptizatis non denegandam esse administrationem extremae unctionis etsi in actu mortaliter peccaminoso morte correptis, nisi signa dederint impoenitentiae. Baruffaldus (ad h. l.) observat: " Recentiores theologi cum fundamento [sustinent] quod de quocumque christiano possit prudenter praesumi, in periculo seu articulo mortis constitutum quempiam fidelem interius corde suo dolere de peccatis, et efflagitare sacramenta, ut aeternam salutem consequatur; ideoque in voto sunt, ut sit sufficiens praesumptio pro ministrando eidem hoc sacramento, ideoque recte operari qui praesumptive ministraret impoenitenti, manifesto peccatori et excommunicato in mortis periculo constitutis. Diana ipse recessit ab opinione sua et cum multis auctoribus ab eo congestis, affirmavit, non esse illicitam sacramentorum ministrationem eidem moribundo, quamvis destitutus sit sensibus actualiter peccando. Est enim pie credendum, quod etiam pessimus peccator, se vicinum morti sentiens, conetur actum saltem attritionis in corde elicere, ut salvetur. Hoc non obstante, textus noster clare loquitur, prohibens talem administrationem,

qui textus cum per consensum Ecclesiae universalis sancitus sit, est magis attendendus, quam opinio doctorum licet classicorum „.

Modo quaelibet controversia eliminata est; nam per authenticam interpretationem, a Codice rubrica Ritualis in suo genuino et practico sensu declaratur. Consulitur per hunc canonem etiam debitae reverentiae erga sacramentum; etenim forma conditionata adhibenda est quoties dubium occurrat circa dispositiones illius qui, in periculo mortis constitutus et sensibus destitutus, publica censura innodatur, vel publice peccavit et nullum poenitentiae signum ante sensuum destitutionem dedit, si ad illum sacerdos vocatur cum resipiscentiae signa dare non potest.

CAN. 943.

Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur.

In fontium annotatione citatur etiam Rituale romanum (l. c. nn. 6, 7). Ritualis verba haec sunt in editione typica 1913: " Infirmis autem, qui, dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent. seu dederint signa contritionis, deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur. Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum omnino tollatur „.

Codex interpretatur rubricam et eam complet; ete-

nim *absolute* edicit formulam administrationis adhibendam esse, dum Rituale ancipites reddit. Sermo hic esse nequit de perpetuo amentibus, nam " infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti (can. 88, § 3) „.

Pariter Codex de periculo irreverentiae non loquitur, nam etsi phrenetici et delirantes non distinguant sacrum a non sacro, tamen supponitur ut omnis cura adhibeatur ad tollendum hoc periculum irreverentiae, eo magis si hi nullum aliud sacramentum nisi extremam unctionem recipere possunt.

CAN. 944.

Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant.

Benedictus XIV in suo " De Synodo Dioecesana „, post recensionem nonnullorum praeiudiciorum quae irrepserant in plerasque regiones, haec habet : " Hac nostra aetate liberi profecto sunt fideles ab enarratis praeiudiciis ; et nihilominus humani generis hostis hanc plerisque rudibus, et ignaris mentem iniecit, ut credant, actum esse de vita illius, qui sancto oleo est inunctus, et solum ei superesse sepulcrum ; ex quo fit ut a sacra unctione, perinde ac ab ipsa morte abhorreant (l. c. c. 7) „. Contra hoc praeiudicium, ferme satis commune etiam diebus nostris, clamat Catechismus Concilii Tridentini (§ 18, de extr. unct.), qui graviter obiurgat animarum pastores se huic falsae persuasioni accommodantes : " In quo tamen (sunt verba Catechismi) gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam, omni

salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens, et ratio viget, fidemque, et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur „.

Rituale romanum videtur verba derivasse a Catechismo, eamdem doctrinam tradens : " Extremae unctionis Sacramentum.... omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo (l. c. n. 1) „.

Codex, ut patet, de hac obligatione canonem instituens, doctrinam Catechismi et Ritualis sequitur ; attamen nil decernit circa ordinem administrationis, si eidem infirmo sacramenta quoque poenitentiae et Eucharistiae administranda veniunt.

Rituale romanum (l. c., n. 2) haec habet : " In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur „. Verum Benedictus XIV (l. c., c. 8) huic „ generali consuetudini „ non assentitur, nam scribit : " Nemo, qui ecclesiasticae historiae non sit omnino imperitus, inficiabitur, usum quondam fuisse, ut sacro oleo linirentur infirmi post peractam quidem sacramentalem confessionem, sed priusquam Christi Corporis reficerentur Viatico.... Neque ad hanc inducendam consuetudinem legitimam defuisse causam,

ait Suarez; cum enim extrema unctio sit perfectio et consummatio poenitentiae, uti communiter appellatur a Patribus, quae peccatorum reliquias abstergit, uti a Tridentino edocemur; non sine rationabili causa, poenitentiae coniungebatur; ut per utrumque sacramentum homo perfecte expiatus, sine ulla animae sorde coelestem panem degustaret „.

Nihilominus, ut assentitur idem Pontifex, praedicta consuetudo ne priscis quidem temporibus fuit ubique, atque apud omnes inviolate servata. Rituale Card. Sanctorii rectius hac de re habet (pag. 323): " Quamvis apud veteres aliquando consuetudo fuerit, ut post poenitentiam, et reconciliationem infirmorum, extrema primum eis unctio, ac deinde sacra communio exhiberetur (ut ex diversis sacris canonibus, ac vetustis codicibus, pontificalibus, et ordinibus administrandorum sacramentorum manifeste liquet); postea tamen ex generali consuetudine, quae et hodie universaliter in latina et occidentali Ecclesia viget, factum est, ut prius sacra communio, postmodum vero extremae unctionis sacramentum infirmis exhibeatur. Atque ideo et hunc ordinem hic servare oportet „.

Optima est animadversio quae legitur in Rituali Argentinensi card. de Rohan: " Si eodem tempore aegroto detur Eucharistia et extrema unctio, haec ante illam dari poterit, si ita postulet aegrotus; et pia illa aegrotorum postulatio fulcitur hisce momentis; quod nempe, quia effectus unctionis extremae abstersio est reliquiarum peccati, ipsa unctio extrema spectari potest quasi amplior ad Eucharistiam praeparatio; et quod aliunde eam ante Viaticum conferendi usus antiquus est, et probatur, licet non ubique admissus. Faciat autem super ea re Pa-

rochus, quod magis expedire videbitur pro astantium aedificatione, maxime autem pro temporis opportunitate; si enim vis morbi urgeret, Viaticum primo detur, et postea extrema unctio ministretur „.

At haec praxis a Catechismo Concilii Tridentini et Rituali romano non admittitur, proinde abstinendum est ab administratione extremae unctionis ante Viaticum ea tantum ratione ut indulgeatur privatae et peculiari infirmi devotioni. Equidem Rituale romanum non excludit, in casu necessitatis, ut mutetur ordo; sed in ordinariis adiunctis a tradito ordine recedendum non est.

CAPUT III.

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EXTREMAE UNCTIONIS

Can. 945-946

Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stamneo diligenter custodiat, nec domi retineat nisi ad normam can. 735.

Plura circa sacra olea generatim diximus in commentario canon. 734, 735, de eorum receptione, conservatione, et, in casu defectus alterius olei non benedicti, additione. Hic proinde tantum innuimus illam partem can. 945 in qua sermo est de oleo a presbytero bene-

dicto. Sollemne vidimus consilium can. 781, § 1, quo "Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur „. Notum est decretum Clementis VIII, a quo permittuntur Italo-graeci perseverare in suo ritu: "Circa oleum sanctum infirmorum, non sunt cogendi presbyteri graeci olea sancta, praeter Chrisma, ab episcopis latinis dioecesanis accipere: cum eiusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ac benedicantur „. Hoc decretum, confirmatum a Benedicto XIV per Const. " Etsi pastoralis „, clare manifestat ab Ecclesia latina validum haberi sacramentum extremae unctionis, a sacerdotibus graecis, oleo a semetipsis benedicto, administratum; et proinde, per potestatem a Romano Pontifice expresse sacerdoti etiam latino factam, oleum sacratum simplicis sacerdotis benedictione, materiam esse aptam ad idem sacramentum conficiendum. Audiendus ergo non est Suarez, qui consecrationem olei pro extrema unctione ita a Christo Domino Ordini episcopali annexam ait, ut asseveret, ne a summo Pontifice quidem eam posse delegari presbyteris charactere episcopali non insignitis. Facultas benedicendi oleum pro infirmis extrema unctione conceditur facile ab Apostolica Sede missionariis in dissitis regionibus, conceditur etiam aliquando Abbatibus et Praelatis nullius.

Can. 947.

§ 1. *Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius*

in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

§ 2. *Unctio renum semper omittatur.*

§ 3. *Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.*

§ 4. *Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.*

Ne immoremur in commentario plus aequo, tradendo notiones quae abunde in praxi habentur, sufficiat ut innuantur praecipuae.

In decreto Eugenii pro instructione Armenorum septem fieri iubentur unctiones pro admnistratione huius sacramenti. At omnes doctores, ait Benedictus XIV (l. c., c. 3), ultro fatentur " unctiones pedum et renum, necessarias non esse ad validam sacramenti confectionem; tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum, honestatis et pudoris causa, semper omittitur in foeminis, et interdum etiam in viris, qui propter labefactas vires, morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo; quo adnotatur a Rituali romano, atque a card. Sanctorio in suo Rituali pag. 325 „.

Codex, ut uniformitas in omnibus habeatur, renum unctionem omnino suppressit, ita ut modo, nefas sit etiam in viris eam peragere.

Recessit ergo a consilio decr. 3075 S. R. C., lato pro dioecesi in qua Rituale romanum adoptabatur, nam edixit " patienter se quidem laturam, si singularia istius dioecesis adiuncta impediant, quominus illico et universim ad praxim unctio isthaec deducatur, insimul tamen ardentissimum votum suum expressit, ut... docentibus parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fi-

deles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam iuxta Ritualis romani praescriptiones„.

Quaestionem gravissimam de unica unctione, iuxta sententiam S. Congregationis S. Officii 25 aprilis 1906, cum forma brevissima: " Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen „, Codex resolvit; mandans tamen ut ceterae unctiones non omittantur et proinde resumantur quoties periculum cessaverit.

A Codice non reprobatur consuetudo non ungendi pedes; requiritur tamen quaelibet rationabilis causa, quae praesto esse potest.

Non excluditur, in casu tantum necessitatis, usus instrumenti: at casus necessitatis restringitur, iuxta omnes ad grave periculum infectionis. Cl. Capellmann (Medic. Past. ed. XIII, pag. 133) observat in plerisque morbis periculum contagionis non in immediato aegrotorum contactu positum esse, sed iam in eorum vicinia et in cubiculi aere, venenosis morbi seminibus refertissimo; quare nihil proderit, contactum evitare; etiam in morbis qui solo contactu inficiunt, iam ipsum oleum impedire, quominus contagium mortis transferatur. Tamen, ne intingendo pluries digitum in oleo, oleum inficiatur, globulum bombacii ita humectare fas erit, ut eodem tanquam instrumento omnes unctiones fiant, et denuo in oleo non intingatur.

TITULUS VI.

DE ORDINE.

Cum materia trium priorum capitum et postremi minimam vel nullam cum s. Liturgia relationem habeat, necessario commentarium nostrum in hunc titulum tantum cap. IV et V attingit, quae sufficiens argumentum discussioni praebent.

CAPUT IV.

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS SACRAE ORDINATIONIS

Can. 1002.

In quovis conferendo ordine, minister proprios ritus in Pontificali Romano aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, adamussim servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere.

Iuxta can. 950, in iure, verbum " ordo „ comprehendit non tantum consecrationem episcopalem ac ordines quae a canonibus vocantur maiores et minores sed etiam ipsam primam tonsuram ; quapropter praeceptum huius canonis se extendit per omnes gradus hierarchiae ordinis. Cohaeret hoc cum Pontificali Romano, quod sub unico titulo " De Ordinibus conferendis „ ritus exhibet a prima tonsura ad presbyteratum (distincte vero ritum pro consecratione Electi in Episcopum). Monitum vero eiusdem Pontificalis " Advertat diligenter Pontifex, cum Ordines confert, ne

in expressione formarum, vel collatione instrumentorum ipsorum Ordinum deficiat „ C. I. C. servatum vult etiam a ministro qui utitur ritu a romano diverso, qui proinde nullam mutationem, omissionem, inversionem etsi romano ritui magis conformem, admittere potest. Verumtamen prae oculis habenda sunt quam plurima decreta S. R. C. quae pressas rubricas Pontificalis interpretantur et aliquando si quid omissum fuerit, quomodo sit supplendum declarant.

Praecipuas S. C. normas pro sacra Ordinatione, quae rubricas Pontificalis illustrant, paucis verbis hic congerere opportunum est.

Ordines non sunt conferendi a pluribus episcopis in eadem ecclesia et eodem tempore (decr. 1534).

Rubrica Pontificalis : " quilibet, cum tondetur, dicit *Dominus pars etc.* „ in ritu pro clerico faciendo, interpretanda est : " tonsurandi una cum episcopo proferunt verba : *Dominus pars* etc. „ (decr. 2682[2]).

In ordinatione Ostiariorum, quoad eisdem tradendas claves, in praxi servandum est Pontificale Romanum (Pontifex accipit, et tradit omnibus *claves* Ecclesiae, quas successive manu dextra singuli tangant, Pontifice dicente: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem* etc.), proinde, quamvis habenda sit valida ordinatio si una tantum clavis tradatur, tamen praescriptae sunt saltem duae (decr. 4035).

Non est stricte necessarium, ut ordinatus ad Ostiariatum claudat ostium ecclesiae vel cappellae cum clavibus (decr. 2682[5]), nec pulsare tenetur plures campanas (decr. 3315[2]) nec debet egredi extra ecclesiam ad turrim, sed sufficit ei quassare tintinnabulum altaris ad fores

Ecclesiae, et id etiam sufficit, si nulla campana adsit (d. 3315 [3-4]), quamvis rubrica Pontificalis edicat: " Archidiaconus... ducit eos ad ostium Ecclesiae, et facit illos *claudere et aperire;* tradit etiam eis funem campanarum faciens eos *campanas* pulsare „.

In ordinatione Lectoris, quae in monitione leguntur intra parenthesim, habenda sunt verba facultativa, idest illud *vel* habendum est uti rubrica, ita ut episcopus ad lectorem dicere possit vel: " *Lectorem siquidem oportet legere ea quae praedicat* „ : vel " *Lectorem siquidem oportet legere ei qui praedicat* „ (d. 3315[6]). Codex de quo loquitur rubrica Pontificalis pro eadem ordinatione (Pontifex accipit et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt) intelligitur Missale, vel Breviarium, vel volumen Sacrae Scripturae „ (d. 3315[5]).

In ordinatione Acolythi " candelabrum cum candela extincta „, de quo loquitur rubrica Pontificalis, esse nequit *Bugia* seu Palmatoria (d. 2194[4]).

Cum rubrica in ordinatione Subdiaconi " Pontifex sedens.... amictum, qui in collo ordinandorum iacet, imponit super caput singulis „ non dicat utrum amictus in capite teneri debeat usque ad finem formulae *Accipe amictu* etc.; an super scapulas dimittere, S. C. decrevit (d. 2596[1]) illud demittendum esse super scapulas, statim ac impositus fuerit ab episcopo.

In ordinatione Diaconi et Subdiaconi eisdem tradi potest Missale loco libri Epistolarum vel Evangeliorum de quo loquitur rubrica (d. 3315[7]).

In ordinatione Presbyterorum verba Pontificalis quoad manum impositionem " Idem faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt „, moraliter intelligi possunt, ita

ut nihil officiat, si quis ex praesentibus id omittat; non enim dictio illa *omnes* singulos qui adsunt comprehendit sed multi pro omnibus indigitantur; at qui manum imponunt, saltem stolam a collo pendentem accipere debent (cfr. dd. 2616[1], 3059[22]).

Manus extendenda est tantummodo ad orationem: *Oremus, Fratres carissimi*; tum Pontifex, tum Sacerdotes adstantes, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendere, easque sic extensas tenere debent, donec episcopus orationem *Exaudi nos* absolverit (dd. 3274[1], 3307).

Cum Pontificale docet ungendas esse totaliter palmas neo-presbyteri, per verbum *palmas* intelligenda est pars interior manus inclusis digitis (Decr. in *Lugdunen.* 12 iulii 1917). In fine ordinationis episcopus dexteram partem vultus ordinatorum deosculari debet (d. 2682[17]).

In ordinatione generali sufficit ut unus ex ordinatis in quolibet Ordine offerat episcopo cereum accensum, et toleratur usus, ut una tantum candela accendatur, quae a singulis ordinatis episcopo offeratur (dd. 2883[4], 2682[7]).

In traditione materiae vel sacrorum indumentorum, *Amen* post formulas non ab astantibus sed a quolibet ordinando dicendum est (d. 2682[6]).

Can. 1003.

Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari.

Manifesto hic vox "ordinatio" accipienda est pro ordinatione generali et promotione ad ordines maiores

nam, iuxta Pontificale, ordines minores conferri possunt extra Missarum solemnia a Pontifice induto stola super rochettum.

In calce huius canonis in editione cum fontium annotatione, citantur decreta S. R. C. quae hoc ius induxerunt. Liceat ea hic proferre ad illustrationem canonis.

Episcopus suffraganeus ecclesiae Vratislavien, anno 1658 preces porrexit et anno 1660 renovavit, ut ei S. R. C. impertiri dignaretur facultatem Sacros Ordines conferre inter Missarum solemnia alio sacerdote celebrante cum ipse iam septuagenarius variis vexaretur infirmitatibus, et praecise podagra, ita ut pedum usu saepissime destitutus Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare nequiret, et non adesset in dicta Dioecesi alter episcopus, nec extra illam, nisi ultra trecenta milliaria, et tanto itineris incommodo nemo vellet se exponere.

S. R. C. ei responderi mandavit sub die 8 iunii 1658: " Nihil „, et sub die 24 ianuarii 1660: " Nihil indulgendum fore „.

Episcopus Nemausensis in Gallia, anno 1837, enixe exquisivit ut sibi, annum octogesimum septimum agenti, bona valetudine et intellectualibus facultatibus integre gaudenti, liceret in scamno sedenti conferre Sacros Ordines clericis suae dioecesis, alio sacerdote Missae Sacrificium celebrante, ne clerici ipsi cum gravi incommodo adigerentur ad conterminos Antistites accedere pro ordinatione. Omnibus mature perpensis S. R. C. rescribendum censuit: *Non licere.*

Ceterum Pontificale Romanum, quod antiquae traditionis monumenta magis quam ceteri libri liturgici

prosequitur, nullum relinquit ambigendi locum circa hunc firmatum morem.

Circa vero qualitatem Missae nova rubrica Missalis statuit: " In Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato infra hebdomadam IV Quadragesimae, Missa in qua Ordines conferantur, semper dicitur de Sabbato; et in ea si alia ibi non habeatur Missa cantata vel conventualis, fit Commemoratio de Officio currenti, etiam Duplici 1 aut 2 classis, et aliae quae occurrant (tit. I, 5) „.

Iuxta decreta 2375[1], 2516[2], 3044[1], episcopus in suo domestico sacello Missam celebrare potest in Sabbato sancto pro collatione Sacrorum Ordinum, quae tamen incipienda est a Prophetiis. In ordinatione quae fit tali die, dicendae sunt Litaniae ut in missali assignantur, additis quae episcopus proferre debet super ordinandos post ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. (d. 3731[6]). Etiam privatim conferens ordinationes, episcopus hac die utitur paramentis coloris violacei, dum legit Prophetias, et mutabit ea in alia coloris albi ad ℣. *Peccatores* Litaniarum (d. 3832[5]). Admonitio pro ordinatione subdiaconi facienda est post Litanias (d. 2616[4-5]).

Extra hos dies dicitur Missa de officio currenti cum oratione pro collatione ordinum sub unica conclusione; at verba *Flectamus genua* ante singulas Orationes super ordinatos semper pronuntianda sunt (d. 4164).

Episcopus qui ob gravem oculorum infirmitatem facultate fruitur celebrandi quotidie Missam votivam B. M. V., uti potest hoc privilegio etiam diebus ordinationum, quatenus ordinationes habeat extra tempora (d. 3152).

Missa saltem in ordinatione generali in cantu cele-

branda foret, at quamvis sine cantu celebretur, episcopus omnia indumenta pontificalia sumere debet. Si ordinatio fit sine cantu, subdiaconi et diaconi epistolam aut evangelium legere debent cum episcopo (dd. 2682[9], 3368[8]), et novus subdiaconus, postquam epistolam legerit, non debet manum episcopi osculari nec novus diaconus ante lectionem evangelii debet ab eo petere benedictionem; episcopus autem finito evangelio debet osculari suum proprium missale (d. 3006[8]).

CAN. 1005.

Omnes ad maiores ordines promoti obligatione tenentur sacrae communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendae.

Pro communione ordinandorum episcopus uti debet formula Pontificalis *(Corpus D. N. I. C. custodiat te* etc.) etiam si cammunicentur ordinati in minoribus (dd. 2682[16], 3012, 3186[3]), sed quaelibet formula omittenda est in communione neo-presbyterorum (dd. 2089[4], 3105[2], 3274[2], 3721[1]).

In ordinatione generali subdiaconi et diaconi dicere debent *Confiteor* post communionem presbyterorum (dd. 2682[10], 3721[2]).

CAPUT V.

DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS

CAN. 1006, § 1.

Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia die dominico vel natalitio Apostolorum.

Ritus consecrationis episcopalis, ut omnes norunt importat veram concelebrationem ab initio Missae; neo-

episcopus communicat de manu consecrantis de eadem Hostia et de eodem Calice, nullam consecratore formulam pronuntiante.

Consecratio Episcoporum, iuxta decretum S. R. C. in *Deleg. Ap. Canadensis*, tantum die dominico vel natalitio SS. Apostolorum fieri potest ut Pontificale Romanum praescribit, sed nequit in festis SS. Evangelistarum Lucae et Marci, neque in festo S. Barnabae (eo magis neque in festis secundariis S. Petri et S. Pauli). Necessarium est indultum Summi Pontificis ut consecratio fiat in festis sive de praecepto sive suppressis infra hebdomadam occurrentibus.

CAN. 1006 §§ 2 et 3.

Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis. et Sabbato Sancto. — Gravi tamen de causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.

Tantum diebus a canone recensitis Missa, ut vidimus, de feria esse debet; formularium enim Missae Sabbati Quatuor Temporum proprium dicendum est pro collatione Sacrorum Ordinum, nam ob id plures lectiones in missali servatae fuerunt in editione huius libri liturgici a S. Pio V promulgata. Sabbatum ante dominicam Passionis, cum iamdiu dies habeatur propria pro ordinationibus, quamvis Missa instruatur unica lectione, eodem jure potitur. Sabbatum sanctum lectiones habet quae ordinantur etiam ad baptismum et non tantum ad sacram ordinationem. " In Pontificali Romano distinctae sunt Rubricae, quae methodum praescribunt in Ordinibus

conferendi omnino servandam; et licet non differant quoad substantialia, pro temporum tamen ratione a generali regula, tantilum divertunt, et accidentalem aliquam variationem ponunt, sic exigentibus sacris actionibus, quae simul eadem die concurrunt, et successive peraguntur. Ideo in Sabbatis Q. T., quia Prophetiae ad Missam et Ordinationem stricte pertinent, initiantur Tonsurandi post *Kyrie eleison* et Minores Ordines inter unam alteramque ex primis quotuor prophetiis conferuntur. Antequam Pontifex ultro procedat, sistentes ante se promovendos ad Subdiaconatum gravibus verbis admonet, ut serio cogitent quid acturi sunt, priusquam libertatem amittant transeundi ad vota saecularia; mox Archidiaconus iubet, ut accedant, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri; incipiuntque Litaniae etc.„ (Cfr. Vol. IV. Coll. auth. Decr. pagg. 217–18). Post quintam lectionem ordinantur Subdiaconi; finita Epistola, Diaconi; et demum ante ultimum versum tractus vel Sequentiae, ordinantur Presbyteri.

Si vero Ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur Lectio, Tonsurae debent fieri immediate ante Introitum; omnes minores Ordines post *Kyrie eleison;* Subdiaconi, immediate post Collectam; Diaconi, post Epistolam; Presbyteri, ante ultimum versum Tractus. Idem servatur quandocumque dantur Ordines sacri extra Tempora (Ex Pont. Rom.). "Verumtamen, si Ordinatio fiat Sabbato Sancto quum Prophetiae, quae simul ad Baptismum et Ordinationem pertinent, Missae praemittantur.... rubrica diversam dat dispositionem (Vol. IV. Decr. l. c.) „.

Haec sunt Tempora Ordinationum propria, ita ut

ieiunii servandi praeceptum feria IV, VI et sabbato Q. T. modo potius referatur ad Dominum exorandum ut dignos operarios mittat in messem suam (Cfr. Catechismo della Dottr. Crist. di S. S. Pio X, pag. 122) quam ad sanctificationem uniuscuiusque anni partis.

Attamen, ut declarat § 3 huius canonis et rubrica Pontificalis innuit, causae dari possunt quae exigant diem diversam a praedictis pro ordinatione; et tunc haec habenda est die dominico vel festo de praecepto. Non requiritur indultum apostolicum quod ante promulgationem Codicis necessarium erat pro habenda ordinatione extra Tempora, proinde non subsistit rubrica Pontificalis praescribens, antequam ad collationem Ordinum procedatur, lectionem mandati Apostolici sive supplicationis, cuius vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi. Excluduntur a canone festa quae amplius de praecepto non sunt; attamen viget decretum seu declaratio S. R. C. *in Quebecen.* (d. 3890[2]) quae in fontium annotatione citatur, nempe habendi sunt tamquam festivi dies, quibus iuxta can. 1247 § 1 in universa Ecclesia adnexum est praeceptum, etsi alicubi, ex peculiaribus indultis, solemnitas transferatur in Dominicam proximam sequentem, vel, ea impedita, in Dominicam proximam antecedentem. Decreta 2682[1] et 2852 non amplius sunt attendenda, permittebant ordinationem etiam in festis abrogatis.

CAN. 1006 § 4.

Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicis, mane tamen.

Secunda pars huius paragraphi temperat rubricam Pontificalis, quae huius tenoris est: " Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus ex praecepto ubicumque, in mane tamen „. Ut patet, non amplius requiritur ut festiva sit dies, neque ut saltem sit dies olim festiva de praecepto, prout decretum 2705 concedebat; sufficit ut ritus officii illius diei sit ritus duplex. In calce equidem citantur tamquam fontes decreta S. R. C. quae antiquam disciplinam defendunt: at, omnes norunt, hoc non officit nostrae interpretationi.

CAN. 1007.

Quoties ordinatio iteranda sit, vel aliquis ritus supplendus, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto.

Ad nos facit pro commentario huius canonis rescriptum *in Taurinen,* quod legitur in Coll. auth. Decr. sub n. 2767. " Simul ac.... epistolam.... accepimus super omissione traditionis libri Evangeliorum, quae inconsulto accidit.... in promovendo nonnullos Subdiaconos ad diaconatus Ordinem; huiusmodi negotium illico demandatum fuit aliquibus huius S. R. C. Consultoribus Theologis, ut super re suam exponerent sententiam; quam.... communicamus, ut sciat (Amplitudo Tua) quid in re sit agendum.... Si Amplitudo tua prudenter iudicet moram temporis, quae inter ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, tantam fuisse ut moralis coniunctio formae cum traditione materiae merito haud censeatur abrupta, Ordinatos huiusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praete-

ritum.... Si vero dubitet tantum fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum Auctorum interpretatione coniungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa Libri Evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere, et ita ordinatos in suorum Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam traditionem partialem materiam Libri Evangeliorum sine forma; tutius erit, si pro ordinatis huiusmodi *caute et secreto* suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu.... poteris.... *proximo quove Festo* defectum praedictum prudenter et secreto supplere. Quod ad clericos... de quibus prout in casu exponitur dubitatur an omissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit ut ordinati huiusmodi innotescant, et eos in quos suspicio cadere potest, caute et secreto circa huiusmodi dubium interrogari faciat. Si quos igitur invenerit, quibus eadem contigit omissio, idem praestabit quod superius dictum est „.

Eadem S. R. C. *in Vivarien.* commisit et iniunxit, ut quacumque anni die ab episcopo quovis, induto de more ut in ordinatione, et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante Presbytero sacerdotalibus vestimentis pariter induto, suppleatur tertia manuum impositio, et respectiva forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, cum in ordinatione incaute vitiata fuit forma collationis potestatis remittendi vel retinendi peccata, quin repeti debeant caeremoniae accidentales antea adhibitae.

Decreta S. C. S. Officii citata in editione cum fon-

tium annotatione casus similes considerant, et instructionem tradunt quae praedictis S. R. C. decretis cohaeret.

Can. 1009

§ 1. *Ordinationes generales in cathedrali ecclesia vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur.*

§ 2. *Non prohibetur autem Episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis, itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus.*

§ 3. *Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis.*

Codex per can. 1008 tantum in proprio territorio permiserat Episcopo sacras habere ordinationes quae requirunt apparatum pontificalem, nempe ordinationes generales et ordinationem in sacris; in alieno territorio requiritur pro eo qui non sit etiam Cardinalis, licentia Ordinarii loci. Tantum Tonsura et Ordines minores ubilibet conferri possunt. Per canonem vero hunc limitantur pro ordinatione generali etiam ecclesiae propriae dioecesis, ad normam Pontificalis Romani et decretorum S. R. C.; conceditur tamen iusta de causa, electio alius ecclesiae proprii territorii pro ordinationibus particularibus.

Prima tonsura conferri potest, iuxta Pontificale, quocumque loco, at Codex hunc locum designat, ita ut si non conferatur in ecclesiis publicis aut semipublicis, saltem conferenda sit in privato oratorio.

TITULUS VII.

DE MATRIMONIO.

Commentarium in hunc titulum instituentes, necessario illud ita contrahere debemus, ut prae oculis habeantur canones qui materiam liturgicae discussioni praebent. Enimvero, dantur canones inter quorum fontes citantur Rituale romanum et nonnulla decreta S. R. C.; at eorumdem materia potius theologiam pastoralem quam liturgicam disciplinam attingit, et proinde quaelibet de iis discussio extra nostram provinciam evadit. Ceterum a cap. VI tantum aliquale habetur argumentum quod ad nos faciat et opus est industria ut materia habeatur pro commentario, nam, primo obtutu, arida et trita apparet.

CAPUT VI.

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII.

Can. 1100.

Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti, aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

Quo religiosius fideles matrimonium celebrarent, ab Ecclesiae primordiis cautum est, ne aliter illud inirent, quam coram sacerdote, cuius benedictione quodammodo obsignaretur. Praeclarum huius disciplinae testimonium perhibet Tertullianus, enarrans felicitatem matrimonii

" quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio (l. 2 ad Uxorem, cap. 8) „.

Tria elementa a Tertulliano recensita videntur plus minusve in universa Ecclesia servata in matrimonii celebratione, at, per longa saecula, variae inductae fuerunt caeremoniae et consuetudines inter se diversae.

Concilium Tridentinum quasi impossibile iudicavit ad unum redigere has caeremonias et consuetudines; quae, cum Sacramentum et ritum non deformarent, ab eodem Concilio approbatae fuerunt, dummodo essent vere laudabiles.

Rituale romanum suum fecit votum Concilii et, dum in ceteris totum est in uniformitate inducenda, in calce ritus celebrationis matrimonii rubricam ponit: " Si quae Provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri „.

Quamvis C. I. C. videatur ratas habere etiam recentiores consuetudines, tamen ad canonis fontes recurrendum; fieri enim nequit, ut consuetudines quae ante promulgationem Codicis contra legem erant, promulgato Codice, laudabiles factae sint (1).

Concilium Tridentinum loquitur de usibus existentibus et non de futuris, et Rituale Romanum immutatam

(1) Loquimur de consuetudinibus quae nullam vel minimam relationem habent cum ritu a Rituali Romano proposito; nam dari possunt caeremoniae tantum addititiae, quae ritum romanum non perturbant sed quasi complent. Contra opinionem cl. De Herdt, has consuetudines quamvis inductas post Conc. Trident. permissas putamus a C. I. C., dummodo respondeant ceteris requisitis.

servavit rubricam illam, expressa nempe auctoritate Synodi Tridentinae, ut praecaveretur quaelibet nova consuetudo et respuerentor etiam consuetudines aliae quae forsan ab anno 1564 ad 1613 inductae fuerant.

Equidem benigna Mater Ecclesia, ut faciliorem ad romanam liturgiam reditum praeberet, nonnullas consuetudines inductas tempore secessionis liturgicae gallicanae toleravit, at haec tolerantia ad exemplum afferri nequit.

Igitur singulae provinciae et dioeceses suas consuetudines et caeremonias, tempore Concilii Tridentini existentes, in celebratione matrimonii libere retinere queunt; verum, cum Concilium non mandatum sed tantum votum prompserit, assumere valent Rituale romanum; non tamen particulares suas caeremonias in novas alias mutare possunt.

Concilium tantum consuetudines et caeremonias quae vere laudabiles sint retineri laudavit; proinde respuuntur quae gentilitatem redolent, profanitatem sapiunt, superstitiosam praxim sanciunt, gravitatem cultus impetunt etc.; laudantur quae pietatem fovent ac in sponsorum et adstantium animo sanctam et suavem recordationem ritus celebrati imprimunt.

Attamen, consuetudines iuxta locorum et temporum circumstantias perpendendae sunt, nam quae alicubi laudabiles videntur, alibi ridiculae haberi possunt; quae tempore Concilii Tridentini nullam admirationem movebant, modo, ob fidei infirmitatem, locum dare queunt contemptui.

Canon 1100 loquitur " de celebratione matrimonii „, non vero " de benedictione nuptiarum „ de qua sermo est in sequentibus canonibus; sed consuetudines parti-

culares haberi etiam possunt in missa pro sponsis. Equidem, in missae celebratione alias caeremonias quam quae missali continentur addere non licet (can. 818), sed in casu caeremoniae sunt consequentia approbationis particularium consuetudinum a Concilio Tridentino factae. Attamen, ut hae caeremoniae in missa adhibeantur, oportet ut omnino cum missali conveniant et ritum missae non perturbent.

Inter caeremonias in missa permissas, quippe quae perturbativae ritus non sunt, recenseri possunt: *a)* oblatio panis et vini vel cerei a sponsis facta antequam sacerdos solitam oblationem peragat; *b)* osculum pacis per instrumentum, datum post sponsorum oblationem vel post *Agnus Dei*; *c)* velamen super sponsis extensum, dum celebrans benedictionem solemnem in missa sponsis impertitur; *d)* osculum cornu altaris a parte sponsorum dum celebrans ab altari recedit.

Plura habentur Ritualia particularia vel supplementa ad Rituale romanum approbata a S. R. C.; omnem anxietatem haec explicita approbatio aufert, at sufficit explicita vel implicita Ordinarii, et, cum hae consuetudines dioecesanae seu particularis institutionis sint, mutatis circumstantiis, eadem auctoritate, qua sunt institutae, abrogari possunt.

Can. 1101.

§ 1. *Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.*

§ 2. *Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos*

per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.

Benedictio nuptialis non consistit in versibus *Confirma* etc. qui cum oratione post traditionem annuli recitantur in ipsa matrimonii celebratione, sed in orationibus, quae habentur in missali: *Propitiare* etc., *Deus qui potestate* etc. dicendis ante *Libera nos* etc., necnon alia *Deus Abraham* etc., dicenda ante benedictionem (S. R. C. decr. 3798[3]).

Communiter haec benedictio impertitur in missa quae celebratur immediate post matrimonii celebrationem, sed matrimonii celebratio et nuptiarum benedictio non necessario connexae sunt; etenim, benedictio nuptialis impertiri potest, ut innuit canon, etiam post longum tempus a celebratione matrimonii, et matrimonium coram parocho contractum, ab alio sacerdote, cum consensu parochi seu Ordinarii, licite benedici potest.

Benedictio nuptialis non est ad essentiam, neque ad integritatem Sacramenti, quocirca C. I. C. utitur verbis: " Parochus curet „, at non omnes nuptiae benedici queunt; requiritur enim ut primae nuptiae sint ex parte viri et mulieris.

Iuxta Rituale Romanum nuptiae primae ex parte mulieris et secundae ex parte viri benedicendae non sunt, nisi consuetudo has nuptias benedicendi in loco vigeat (Tit. VII, c. I, n. 15).

Huic ritualis rubricae concordat novissima rubrica Missalis (II, 2): " Benedictio locum habere nequit... si uterque aut alteruter alias benedictionem acceperit: servata nihilominus, sicubi vigeat, consuetudine benedictionis,

ut supra impertiendae, si hanc vir tantum obtinuerit „. Attamen conditionem hanc abstulit decretum S. R. Inquisitionis 31 augusti 1881, et proinde quoties mulier benedicta non fuerit, semper benedicenda est in secundis vel etiam tertiis nuptiis post matrimonium rite celebratum. Cum vero super mulierem proprie cadat benedictio, mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere (can. 1143) " licet quae sunt secundae vel ulteriores nuptiae ex parte mulieris, primae sint ex parte viri. „

Rubricae et C. I. C. nullam ponunt conditionem circa statum physicum mulieris et proinde nihil refert ad benedictionem, an mulier virgo sit nec ne, seu currupta; semper est benedicenda, modo in praecedentibus nuptiis non sit benedicta.

Si matrimonium convalidandum sit vel cum alio viro mulier matrimonium contrahat eo quod primae nuptiae fuerint invalidae, benedictio in secundis iteranda non videtur " quia illa proprie non respicit nuptias, sed fertur in personas, in quibus permanet, ut patet ex secundis nuptiis, quas mulier contrahit, quae non sunt benedicendae, quia mulier fuit et manet benedicta (De Herdt. *Prax. Lit. Rit. Rom.* ed. IV, pag. 170) „.

Benedictio nuptiarum fieri nequit nisi infra missam; et nunc decreta S. R. C. hanc super rem, in Codicem et in rubricas Missalis relata sunt. Si plures nuptiae eadem die et hora celebrentur et unicus adsit sacerdos qui Missam celebrare pro sponsis queat, vel si parochus sibi reservaverit benedictionem nuptiarum, prout illi fas est cum haec sit functio parochialis, unica institui potest et debet Missa et per unicam benedictionem pluribus

nuptiis consulere. Hoc in casu, orationes recitandae sunt ut in missali ponuntur, nempe in singulari, quia nulla rubrica permittit eas in plurali; ceteroquin licet singulariter dictae, de unoquoque seorsum sumptae intelliguntur, et similes casus in Liturgia non adeo rari sunt.

In pluribus dioecesibus specialis nuptiarum benedictio habetur; Codex tamen et rubricae de tali benedictione sermonem non instituunt; tantum vetant benedictionis quae in missali proponitur a Missa separationem ut impertiatur v. gr. statim post celebrationem matrimonii. Quamobrem post celebratum matrimonium et traditum annulum, ubi viget consuetudo, particularis benedictio non prohibetur, quippe quae sit consequentia caeremoniarum, de quibus loquitur Concilium Tridentinum. Sane decretum S. R. C. *in Limburgen.* 3016 excludit specialem benedictionis formulam extra Missam, verum cl. De Herdt, qui hoc decretum citat, hanc praxim, saltem in Belgica regione, praescriptam declarat a particularibus ritualibus, et non est ambigendum de tacita saltem tolerantia Ecclesiae, praesertim si consuetudo ante Concilium Tridentinum inducta fuit.

Equidem haec particularis benedictio dici nequit " sollemnis „, eo magis quia non eliminat preces a missali propositas, quae recitandae sunt prout rubrica praescribit; neque habetur bina benedictio, cum orationes diversae sint et ad unum finem referantur, efformantes quodammodo unicam benedictionem.

Benedictio sollemnis, ut diximus, pluribus e causis, a celebratione matrimonii seiungi potest; nonnullae causae exurgunt ipso jure. Etenim benedictio nuptialis omnino

vetatur, quamvis matrimonium quolibet anni tempore contrahi possit (can. 1108 § 1), *a)* feria VI in Parasceve; *b)* in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum (cfr. Rubr. praemiss. Missae vot. pro sponsis); *c)* tempore interdicti (can. 2271, n. 2); *d)* tempore clauso sive feriato, nisi Ordinarius (iuxta can. 1108 § 3) dispenset. Si ergo ob has vel quaslibet alias causas, suo tempore, nempe cum matrimonium inirent, sponsi qui ad eam jus habuerint, benedictionem non acceperint, hortandi sunt ut accipiant, cessato impedimento.

Si matrimonium tempore clauso contrahatur, privatim, sine solemnitate et benedictione celebrandum est, et si sponsi exposcant celebrationem Missae, in qua sacram communionem percipiant, Missam de die sacerdos celebrare debet vel, si rubricae permittant, aliam votivam sine commemoratione pro sponsis et absque benedictione; neque fas illi est, quamvis ritus diei permittat Missas votivas, legere Missam pro sponsis, quae semper adnexam habet benedictionem nuptialem.

Rubricae missalis peculiare privilegium prae omnibus Missis votivis lectis concedunt Missae votivae pro sponsis; et haec Missa praeceptiva est quoties eam rubricae permittunt, etiamsi non applicetur pro sponsis sed pro eleemosynam suppeditante et quamvis infra hanc Missam sponsi sacram communionem non percipiant. Quoties vero Missa votiva pro sponsis impediatur at impertienda sit benedictio nuptialis, in Missa diei semper commemoratio pro sponsis facienda est sub unica conclusione cum oratione substantiali Missae.

Missale romanum (Nov. Rubr. tit. II, 2) physicam requirit praesentiam sponsorum pro celebratione Missae

votivae pro sponsis cum adnexa benedictione; proinde non sufficit praesentia alterutrius prout evenire solet in matrimoniis per procuratorem celebratis; nec sustineri amplius potest opinio Aa. qui sufficientem habebant praesentiam sponsae quoties haec, suo tempore, cum matrimonium iniret, benedictionem nuptialem non acceperit. Rubrica respondet decreto S. R. C. 4269[7], quo etiam statuitur (ad 6) „ quod si benedictionem nuptialem sponsis petierint, cessato tempore prohibito, qua nuptiae celebratae fuerunt, non est necessario eligenda dies in qua Missa votiva pro sponsis dici possit, sed in casu benedictio impertiri potest infra missam, puta de festo duplici II classis cum commemoratione pro sponsis „.

Benedictio nuptialis per se reservatur parocho, prout reservatur illi assistentia matrimonio (can. 462 n. 4), at cum parochus et loci Ordinarius possint quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio assistat (can. 1095 § 2), per alium dare possunt etiam benedictionem nuptialem; et quamvis oratio Missae seu collecta pro sponsis per verba " quod nostro ministratur officio „ se referat ad celebrationem matrimonii, tamen non necessario deleganda est sacerdoti Missam pro sponsis litanti celebratio ipsa matrimonii, nam neque Codex neque decreta vel rubricae id exigunt et alius proinde esse potest sacerdos qui assistit matrimonio, alius qui Missam celebrat et infra eam impertit benedictionem. Delegatus vero ad benedictionem sollemnem impertiendam ea delegatione munitus esse debet qualis requiritur pro assistentia matrimonio, nempe delegatio dari debet expresse sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegatio-

nibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt (can. 1091 § 1).

Codex, rubricae et decreta cum loquuntur de benedictione impertienda " solum in Missa „, manifesto requirunt ut ipse sacerdos Missam celebrans eam impertiat, nec audiendi sunt qui servatum dicerent canonem, si parochus qui Missam alii sacerdoti commisit, dicto *Pater* et *Benedicamus* a celebrante, per se benedictionem impertiret; esset enim haec benedictio " infra Missam „, sed non servaretur " specialis rubrica „ de qua loquitur canon.

CAN. 1102.

§ 1. *In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam...* (§ 2)... *omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.*

In matrimoniis mixtis tantum ea servanda sunt quae Concilium Tridentinum requirit ad validitatem; nempe, contrahi debent praesentibus parocho et duobus testibus, et parochus tantum requirere debet et excipere contrahentium consensum.

Iuxta can. 1109 § 3, extra ecclesiam huiusmodi matrimonia contrahenda sunt, nisi Ordinarius loci aliter judicet. Omittuntur proclamationes quia pertinent ad ritum ecclesiasticum; parochus assistit sine superpelliceo et sine stola; nullas preces recitat; annulus non benedicitur; non pronuntianda sunt verba: *Ego coniungo vos.* " Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint,

easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna et mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, judicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligenter perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate (Instr. *Etsi Sanctissimus*, 15 nov. 1858) „.

Congregatio S. Officii episcopo Nanceyen., sub die 17 januarii 1877 rescripsit illud " extra Ecclesiam „ non impedire quominus haec matrimonia celebrentur in sacristia vel in alio loco Ecclesiae adiuncto, ut cappella remota, dummodo non accendantur cerei et non adhibeatur ornatus specialis; Ordinarium vero posse permittere, iuxta instructionem anni 1858, ut parochus induat superpelliceum et stolam tum ad interrogandum de consensu, tum ad benedicendum annulum et ad brevem, piam et hortatoriam concionem coniugibus habendam. Idem rescriptum confirmat responsum datum in Versalien die 17

ianuarii 1872, nempe non tantum prohibetur Missa pro sponsis cum orationibus et benedictionibus, uti in Missali romano, sed quaelibet Missa, quae celebratur coram sponsis et comitibus post matrimonium, etiamsi sponsis non detur distincta sedes, quia haec Missa haberetur tanquam complementum caeremoniae matrimonii.

CAPUT VIII.

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 1108.

§ 1. *Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.*

§ 2. *Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive.*

§ 3. *Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.*

Illud " Matrimonium omni tempore contrahi potest „ quod habemus in Rituali (tit. VII, c. I, n. 18), ut notat Baruffaldus (Ad Rit. Rom. Comm., ad h. I.) multis quaestionibus causam dedit apud Doctores canonistas; at modo haec rubrica, quae clare et patenter ac sine ulla restrictione loquitur, in Codicem relata, si conferatur cum § 2 et 3 huius canonis, clarior apparet, nempe nulla requiritur dispensatio Ordinarii ut matrimonium

absque Missa et benedictione contrahatur etiam tempore vetito.

Iuxta decretum S. R. C. 3079, "Benedictionis nuptiarum prohibitio tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debet de Missa pro Sponsis et de precibus in Missali positis, non vero de matrimonio ineundo cum caeremoniis et precibus in rituali contentis; preces autem et orationes in missali contentae tempore vetito prohibentur, et episcopus ad eas recitandas facultatem concedere nequit". Hoc decretum confirmatum fuit a decr. 3380', quo declaratur praecedens responsum habendum esse tamquam generale, omnes dioeceses afficere et omnes consuetudines contrarias eliminandas esse. Codex non tantum tempus feriatum contraxit, sed etiam concessit quod decretum 3079 S. R. C. omnino denegaverat, nempe ut Ordinarii possint permittere etiam benedictionem nuptialem tempore clauso.

Post promulgationem Codicis, S. R. C. *in Herbipolen.* (14 iunii 1918), edixit commemorationem pro sponsis faciendam esse in Missis quoque Nativitatis Domini et Dominicae Paschatis, si in iis, iuxta indultum Ordinarii, aliquod matrimonium benedicendum sit.

Canon servatas vult liturgicas leges, nempe ut benedictio impertiatur tantum in Missa, quae, si ritus diei permittat, debet esse pro sponsis; quod si prohibeatur, commemoratio pro sponsis non est omittenda; etenim praedicta Missa, supposito Ordinarii indulto, tempore clauso iisdem circumstantiis permittitur et prohibetur ac tempore non feriato.

Ne consuetudo invalescat ut dies temporis vetiti habeantur pro matrimonio tamquam dies temporis non

clausi, Codex requirit iustam causam dispensationis; penes Ordinarium loci est judicare quae iusta sit causa.

Alia conditio est ut moneantur sponsi, ut a nimia pompa abstineant, quae minus conveniret tempori poenitentiae sacro. Haec monitio, manifesto, praecedere debet matrimonium ut suum effectum consequatur et facienda est nomine Ordinarii qui dispensationem concedit.

Codex non excipit diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, at per novas rubricas missalis hac quoque die prohibetur benedictio nuptialis et proinde Missa et commemoratio pro sponsis. Idem dicendum est de feria VI in Parasceve.

CAN. 1109.

§ 1. *Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico, sive semipublico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.*

§ 2. *Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii, sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.*

Codex I. C. non tantum ecclesiam esse locum proprium pro celebratione matrimonii edicit, sed designat quoque ecclesiam eligendam. Rituale vero his verbis utitur: "Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet„, quae verba, iuxta De Herdt et alios, "praeceptum prae se non ferunt, ita ut in ecclesia per se (matrimonium) celebrari non debeat, nisi id praescribant leges

synodales (o. c. pag. 166) „. Modo omnis controversia eliminatur, lex generalis clare loquitur. Iam a suo tempore Barufaldus optime scripserat: " Parochi advertere debent, ne tam facile se induci sinant ad assistendum matrimoniis extra ecclesiam parochialem, quamvis in corpore parochiae existat. Haec dispensatio, seu hoc privilegium ab Ordinariis concedi solet sponsis nobilibus, urbanitatis gratia, vel ex alia justa causa, sed ad eorum exemplum datur saepe saepius ut alii sponsi etiam infimi ordinis petant ex devotione, vel titulo commoditatis, ut matrimonium celebretur extra ecclesiam parochialem; cui dispensationi opponere se debet parochus; non enim esse debet in potestate cuiuslibet sacerdotem parochum tanto incommodo extra ecclesiam propriam invitum trahere, quasi ad instar servi, et pedisequi infimae conditionis (o. c. Tit. XLI, n. 175) „.

Tamen Codex non ita rigidus est, et, data rationabili causa, permittit ut parochus, sive per alium debita licentia ab ipsomet parocho munitum, matrimonio assistat etiam in oratoriis semipublicis. Oratorium privatum habetur tanquam privata domus, proinde fas parocho non est in oratoriis privatis assistere matrimonio et, eo magis benedictionem nuptialem infra Missam impertire, nisi de licentia Ordinarii prout requirit § 2 huius canonis et decretum 3265, II S. R. C.

In mortis periculo, sicut baptizatur extra ecclesiam, sic etiam matrimonium licite celebratur, quin Ordinarii expectanda sit licentia, nam iuxta can. 1098, neque ipsa praesentia vel licentia parochi requiritur pro validitate et liceitate matrimonii.

Ordinarius, etsi nullum immineat periculum dummodo

laudabiles concurrant causae, pro sua prudentia, permittere potest tum in oratoriis tum in aedibus privatis matrimonii celebrationem ; in oratorio privato non tantum matrimonium sed et benedictio nuptialis, accedente ista Ordinarii licentia, fieri potest.

Celebratio matrimonii, quae per se non turbat animum assistentium qui in saeculo vivunt, quietem interrumpere quit eorum qui saltem ad tempus a saeculo alieni esse debent. Hac ratione Codex, nisi urgente necessitate, et opportunis adhibitis cautelis, Ordinariis mandat ne permittant celebrationem matrimonii in ecclesiis et oratoriis sive Seminarii, sive religiosarum.

" In quo ecclesiae loco hoc sacramentum celebrandum sit, Rituale (et Codex) non exprimit ; locus autem opportunus est altare, in quo Missa celebranda, et nuptiae benedicendae sunt ; nullatenus autem in sacristia, quae non est proprius sacramentorum locus sed paramentis cnstodiendis et induendis destinata est (De Herdt, *o. c.* pag. 166) „.

Paragraphus 3 huius canonis loquitur de loco celebrationis matrimoniorum inter personam catholicam et personam acatholicam, sed de hoc satis in praecedenti canone dictum est.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTALIBUS.

Can. 1144

Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales.

Varia fuit theologorum doctrina circa sacramentalium naturam; plures plura quae a definitione modo a Codice exhibita prorsus exsulant tradebant, eo potissimum, quia valedicere nolebant illi trito versui: "Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens „, in quo sex sacramentalium species comprehendi dictitabant.

Codex quae habenda sint sacramentalia dilucide demonstrat. Non sufficit enim simplex ecclesiastica institutio ut res vel actio habeatur tamquam sacramentale, sed requiritur ut ipsa Ecclesia praecise intenderit effectum spiritualem vel saltem temporalem per usum illius rei seu actionis obtinendum.

Ex definitione patet orationem dominicam, orationes fidelium, signum crucis, eleemosynam spiritualem vel corporalem (etiam nomine Ecclesiae factam) ad numerum sacramentalium referenda non esse, quamvis ex natura sua aut ex speciali promissione divina nonnulla

horum operum peculiarem effectum supernaturalem producant. Neque orationes Divini Officii et caeremoniae Sacrificii eucharistici habendae sunt ut sacramentalia; etenim effectus suos non producant vi potestatis Ecclesiae (quamvis, praesertim in orationibus, semper aliquid petatur a Deo nomine totius Ecclesiae) nam Ecclesia has orationes et caeremonias instituit non praecise ad obtinendum effectum spiritualem vel temporalem.

Neque accensenda sunt sacramentalibus templa, altaria, vasa vel paramenta sacra, etc. quae ad servitium divini cultus tantum destinantur; etenim potius in eis sacramentale perficitur; fiunt enim res sacratae sed effectum spiritualem vel temporalem non producunt, nam eumdem effectum Ecclesia ex iis nunquam derivandum esse censuit. Sacramentalia ut vere talia sint et dicantur, non solum effectum significant sed etiam producunt; sunt ergo signa sacra *practica*.

Nostri non est verum et proprium tractatum de sacramentalibus instituere; at liceat ea delibare quae iter explanant ad eos qui sequuntur canones.

Ex definitione a Codice exhibita eruitur sacramentalia **ratione obiecti** — quamvis multa et maxime varia sint — revocari posse ad duplex genus; habentur enim *actiones* et *res*.

Actiones a theologis vocantur " sacramentalia transeuntia „ ; effectus enim producitur immediate per aliquam actionem.

Res benedictae vel consecratae dicuntur " sacramentalia permanentia „ nam in eorum usu sacramentale conficitur, idest effectus producitur mediate.

Cum vero sacramentalia maximam, quae admitti possit,

similitudinem cum sacramentis exhibeant, hinc theologi "sacramentalia transeuntia„ comparant cum sacramentis, quae actione transeunte conficiuntur, et "sacramentalia permanentia„ cum ss. Eucharistiae sacramento quatenus in altari servatur, quod in esse permanet et usu suum effectum producit.

Sacramentalia tum ex sua institutione, tum ex modo quo peraguntur, diversa sunt et ad diversos fines destinata. **Ratione finis** sacramentalia transeuntia dividuntur in *benedictiones* et *exorcismos*, prout ad effectum supernaturalem conferendum adhibentur aut influxum daemonis debilitant vel frangunt.

Nonnulla sacramentalia, quibus res vel personae ab Ecclesia consecrantur et ad divinum cultum deputantur, eatenus sunt sacramentalia, quatenus ipsa consecratio vel usus rei consecratae vim habet conferendi effectus supernaturales. Inter haec recensentur consecratio ecclesiae, consecratio calicis, benedictio abbatis vel abbatissae, ordinum minorum collatio, etc.: quae sacramentalia sunt non eo quod persona vel res ad cultum divinum deputatur sed quatenus Ecclesia effectum supernaturalem intendit per consecrationem ipsam vel per usum rei consecratae.

Subiectum sacramentalium, si prae oculis habeatur tantum subiectum proximum et immediatum, diversissimum est, nam comprehendit omnem creaturam tum rationalem tum irrationalem; verum subiectum remotum est solus homo viator in cuius spiritualem utilitatem semper et tantum cedit effectus sacramentalium.

Can. 1145

Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.

Sacramentalia ad cultum divinum etiam ordinantur et suapte natura sunt actus cultus divini. Iuxta can. 1257 "Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros „, quapropter canon hic nihil novi quoad potestatem in sacramentalia tradit.

Compertum est complura sacramentalia non directe ab Apostolica Sede constituta esse, verum Apostolicae Sedis interpretationem authenticam eorumdem accessisse cum ritus talium sacramentalium in libros liturgicos relatus fuit. Complura sacramentalia quae antiquitus in usu erant, in desuetudinem abierunt, quin Apostolica Sedes ius suum in eadem diceret, at exigentibus temporis adiunctis Apostolica Sedes nova sacramentalia instituit, ut videre est in Rituali Romano, in quo plures reperiuntur benedictiones novissime approbatae.

Effectus sacramentalium tantum pendent ex vi impetratoria Ecclesiae, non a merito ministri neque a sanctitate subiecti; proinde cum totius Ecclesiae legitimus interpres sit Apostolica Sedes, merito denegatur ceteris membris Ecclesiae, etsi in dignitate constitutis, facultas in sacramentalia.

Can. 1146

Legitimus Sacramentalium minister est clericus, cui ad id potestas collata sit, quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eandem exercere.

Ad Sacramentalia conficienda ordo sacerdotalis vel saltem clericalis requiritur; attamen usus quorumdam sacramentalium permanentium immediate ipsis laicis permittitur, ut aquae lustralis, numismatis benedicti etc.

Sacramentalia **ratione ministri** dividuntur in "reservata„ quae tantum a determinato ministro confici possunt et in "non reservata„ quae vi ordinis a quolibet sacerdote peragi possunt absque ulla delegatione.

Habentur Sacramentalia quae Summo Pontifici reservantur; alia sunt ita Episcopis reservata ut requiratur apostolicum indultum pro eorum confectione si delegari debeant sacerdoti; sufficit pro nonnullis Episcopo reservatis istius delegatio. Nonnullae benedictiones certis ordinibus religiosis reservantur; et nonnulla sacramentalia quae vi ordinis a quolibet sacerdote confici possunt, ita iuris parochialis sunt ut ab alio sine licentia parochi confici nequeant.

Can. 1147 §§ 1-2

Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur.

— Benedictiones autem impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur.

Auctores et Codex ipse deprecationes illas, quibus Deum Ecclesia exorat ut aliquid boni vel sacri cuipiam tribuat, in tres classes dividunt: *consecrationes*, *benedictiones* et *exorcismos*.

Consecrationes et benedictiones dividuntur in *verbales* et *reales*; illae solis verbis, et hae etiam sacra unctione perficiuntur.

Consecrationes et benedictiones dicuntur *constitutivae* cum per eas sive personae sive res constituuntur in esse permanente personae seu rei sacrae, adeo, nempe, ut deinceps illum statum non mutent et ad usus profanos amplius converti nequeant.

Benedictiones habentur etiam *invocativae*, quibus non confertur esse sacrum sed per eas rebus vel personis divinum imploratur auxilium, quin istae pristinum statum relinquant.

Consecrationes et benedictiones constitutivae non repetuntur, quia consecratio seu benedictio perseverat, quamdiu res in eodem statu permanet; benedictiones vero invocativae super eadem re iterari possunt.

Benedictiones et consecrationes constitutivae triplicis generis sunt; dantur enim, ut supra diximus, sacramentalia quibus tantum personae vel res deputantur ad cultum divinum; nonnullae benedictiones et consecrationes ordinantur ad sacramenta vel ad alia sacramentalia conficienda (ex. gr. benedictio olei sacri, chrismatis etc.); aliae, quibus eo fine res benedicuntur ut ex earum applicatione vel pio usu aliquod bonum in hominem redundet, vel aliquod malum ab eo propulsetur.

Rituale Romanum de ministro benedictionum praescribit: "Noverit sacerdos, quarum rerum benedictiones

ad ipsum, et quae ad Episcopum suo iure pertineant, ne maioris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate „.

Episcopis propriae sunt benedictiones reales in quibus intervenit sacra unctio, quae benedictiones proprio nomine *consecrationes* vocantur. Dum benedictiones verbales Episcopo ex iure ordinario vel delegato sacerdotibus delegari queunt, non ita est de consecrationibus. Attamen in iure inveniuntur sacerdotes episcopali charactere carentes qui valide et licite consecrationes peragere possunt. Cardinalibus ubique locorum (per can. 239 § 1, num. 20) facta est facultas peragendi consecrationes et benedictiones altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, etiamsi episcopi non sint; nequeunt tamen consecrare vel benedicere ecclesias nisi accesserit Ordinarii loci consensus, neque oleorum sacrorum consecratio eisdem, si careant episcopali charactere, competit.

Vicarii et Praefecti Apostolici, necnon qui ad normam can. 309 eorum vicem gerunt in vicariatu et praefectura, etsi charactere episcopali non insigniti, possunt, intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertire, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare, primam tonsuram et ordines minores conferre (cfr. can. 294 § 2 et 310 § 2).

Abbas vel Praelatus *nullius* " si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si ea recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can. 293 § 2 describuntur (i. e. pro Vicariis et Praefectis Apostolicis), potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare (can. 323 § 2). „

Iuxta can. 1200 § 1, si altare immobile amittit consecrationem ob separationem tabulae seu mensae a stipite, Ordinarius permittere potest ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore.

Quod spectat ad benedictiones in quibus sacra unctio non adhibetur, hae delegari ab Episcopo nequeunt presbitero, nisi a Codice vel a libris liturgicis haec facultas delegandi specialiter exprimatur. Sollemniora sacramentalia, ex. gr. benedictio Abbatis vel Abbatissae, benedictio et consecratio Virginum, benedictio et coronatio Regis et Reginae etc., nunquam committi solent simplici sacerdoti, nam saepe saepius ipse Episcopus eadem conficit tanquam delegatus Apostolicae Sedis.

Certum est suo iure Episcopum posse delegare etiam simplicem sacerdotem ad benedictionem primarii lapidis templi aedificandi, novae ecclesiae seu oratorii publici, novi coemeterii etc., quia haec facultas Episcopo tribuitur a Rituali Romano, a quo ritus servandus traditur his in adiunctis.

Benedictiones sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi, novae Crucis et imaginum prostant inter benedictiones episcopis reservatas, sed Rituale et Missale edicunt easdem etiam ab aliis potestatem habentibus impertiri posse. Modo enim Episcopi non indigent apostolico indulto ut possint delegare simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi sacra non intervenit unctio; hoc ipsis tribuitur a iure; quinimo ipsi Ordinarii locorum charactere episcopali carentes hanc delegationem concedere queunt cuilibet presbytero (tamen intra fines iurisdictionis delegantis); parochus iure ea

benedicere potest pro ecclesiis et oratoriis totius territorii parochialis; rector alicuius ecclesiae pro sua ecclesia; superior religiosus et delegati ab ipso pro propriis ecclesiis et pro ecclesiis monialium sibi subiectarum (cfr. can. 1304). Benedictio imaginum publicae veneration expositarum reservatur Ordinario, qui tamen eam cuilibet sacerdoti committere potest (can. 1279 § 4).

De iure parochi sunt: benedictio nuptialis, benedictio domorum sabbato sancto vel alia die pro locorum consuetudine, benedictio fontis baptismalis sabbato sancto, necnon benedictiones cum pompa ac sollemnitate impertiendae extra ecclesiam (cfr. can. 462).

Reliquae benedictiones existentes in Missali ac Rituali Romano non sunt de iuribus mere parochialibus et proinde a quolibet sacerdote fieri possunt, dummodo non impertiantur in alterius ecclesia, invito vel contradicente rectore, non fiant sollemniter et publice in loco alterius iurisdictionis; et serventur omnimode conventiones, constitutiones synodales et immemorabiles consuetudines.

Quoad varias benedictiones quae habentur in appendice ad Rituale Romanum, attendendum est utrum sint reservatae an non, et si reservatae, an requiratur licentiae Ordinarii vel Sedis Apostolicae. Sacerdos ne utatur formulis quae propriae sunt regularium ordinum, nisi ei succurrat peculiaris facultas.

Can. 1147, §§ 3-4.

— *Benedictio reservata quae a presbytero detur sine necessaria licentia est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.*

— *Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur.*

In ordinatione presbyteri Ecclesia his verbis utitur: "Consecrare digneris, Domine, manus istas.... ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecunque consecraverint, consecrentur et sanctificentur. "At rectus ordo exigit ut nemo mittat manum in messem alienam; proinde statutae ab Ecclesia sunt normae, quas supra exposuimus. Verum adimere potestatem olim neopresbytero factam moris Ecclesiae non est; idcirco si agatur de benedictione ad quam presbyter ille ius non habet quia ad tale munus non est designatus neque potest delegari, benedictio nec valida nec licita fieri potest; quod si agatur de benedictione quae delegari potest simplici sacerdoti, benedictio quidem est illicita sed valida.

Notandum tamen est, cum cl. De Herdt (*Prax. Rit. Rom.* ed. 4, pag. 187), solam solemnem crucis et imaginum benedictionem reservatam esse Ordinariis, quae fit publice, cum concursu populi, cum solemnitate, cum cantu, pluribus ministris, etc., non autem privatam, quae fit absque praedicto apparatu a solo sacerdote cum unico ministro. Item dicatur de benedictione agrorum et frugum etc., quae in alieno territorio fiant.

In Rituali plurae inveniuntur formulae pro certis dioecesibus approbatae; dummodo privatim, nihil officit quin etiam in ceteris dioecesibus ipsae adhibeantur; equidem ea tantum ratione in appendice Ritualis insertae dicendae sunt nam aliter terram perperam occuparent; et ceterum S. R. C. quae has formulas approbavit et in Ritualis appendice inserere iussit, alias formulas approbavit, quas

censuit tantum peculiaribus dioecesibus indulgere absque insertione in Ritualis appendice; in his servatur effatum "ubi eadem circumstantia, ibi eadem dispositio iuris". Proinde eiusmodi benedictiones, nisi evidens sit reservatio, licite et valide impertiri queunt a quolibet prebystero.

"Lectorem, ait Pontificale Romanum, oportet.... benedicere panem, et omnes fructus novos". Codex conditionem non ponit quae passim ab Aa. requiritur, nempe ut haec benedictio omnino privatim fiat. Ceterum hoc consectarium est praedictorum, quia semper in ea conditione lector versatur in qua etiam plures presbyteri sunt, idest abstinendi a publica benedictione etc. dum degunt in alieno territorio et eo magis in aliena ecclesia nisi succurat debita licentia.

Diaconus, quamvis, data necessitate, sollemniter baptizet, benedicere nequit aquam et sal (decr. 3684). Eidem commitere nequit parochus, licet legitime impeditus, benedictionem domonum (decr. 2729). Potest exponere et recondere Ss. Sacramentum, non vero cum Eodem populo benedicere (decr. 2951[9]); at cum pyside benedicere potest infirmum et populo in delatione Ss. Viatici (decr. 3074[2]). Deficiente presbytero et de consensu Ordinarii, potest explere exequias pro defuncto, corpus aspergere aqua benedicta ac benedicere sepulcrum (3074[1]).

Rubricas Missalis et Caerimonialis Episcoporum eidem committunt solemne officium benedictionis Cerei paschalis et ita ex traditione, haec benedictio ei competit ut auctoribus videatur quasi sub praecepto cadere electio simplicis diaconi prae presbytero, etsi hic qui ordine maior est, in casu fungit debeat munere subdiaconi.

Can. 1148.

§ 1. — *In Sacramentalibus conficiendi seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesiae probati.*

§ 2. — *Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta.*

Sacramentalia effectum suum producunt tantum si iisdem assistit imperatio Ecclesiae haec imperatio non assistit quoties in eorum confectione vel usu non observantur conditiones ab Ecclesia designatae, neque hac in re bona fides nec ignorantia inculpabilis quidquam supplere posunt. Haec doctrina theologorum in Codicem relata est et non amplius licet de ea ambigere.

Codex tantum formulam citat, at cetera supponit. Equidem hic venit etiam doctrina cl. De Herdt: " Ad benedictionem requiritur materiae benedicendae praesentia ut liquet tum ex orationibus, in quibus sermo semper dirigitur ad res praesentes per pronomina, quae solum cadunt super res praesentes; tum ex signationibus, aspersione et incensatione, quae super solam materiam praesentem fieri possunt: ita ut si materia praesens non fuerit, nec orationes ecclesiae, nec signa crucis, aspersio et incensatio ad eam extendamtur. Cum autem haec ad benedictionem necessaria sint, sequitur materiam quae praesens non est, etiam non benedici, non obstante benedicentis intentione eamdem benedicendi, quia sola intentio benedictionem efficere non potest.

Ad valorem tamen benedictionis praesentia moralis sufficit.

Quousque autem haec extendatur generali regula definiri non potest. Clarum videtur populi assistentiam et rerum benedicendarum praesentiam aequiparari non posse; populus enim congregatus unum corpus efficit, res autem benedicendae non ita uniuntur, neque unum quid efformant.

Certum etiam est a benedicente non benedici res quae in sacculis vel sub vestimentis retinentur, neque quae inter populi assistentis multitudinem quasi absconduntur, aut quae a benedicente nec videri nec in se aut alio continente ordinario demostrari possunt (o. c. pag. 189) „.

" In omni benedictione, ait Barufaldus (*Ad Rit. Rom.* tit. XLIV, 38), vel paucis certe exceptis, aqua benedicta habet suum locum.... Utrum vero ad consequendos effectus aquae benedictae, requiratur eiusdem contactus physicus, vel sufficiat moralis, respondet Quarti... sufficere contactum moralem, quoties aspersio aquae acceptatur a personis, super quibus dirigitur... vel si fiat aspersio super rebus insensibilibus, quoties intentio aspergentis ad eas dirigitur, quamvis aqua non pertingat physice ad illas; impossibile enim moraliter est, ut aspersio semper physice omnes res tangat, super quibus fit, alioquin vana et frustranea esset saepissime ista aspersio „.

Idem cl. Auctor circa formulas haec habet: " Quo vero ad orationes praescriptas omnes et singulas recitari debent, nec una omitti, nec nova efformari magis apta ad rem benedicendam, nec demum abbrevianda seu amplianda, nec trasferenda. Sunt enim orationes de essentia ac necessitate ad valorem benedictionis; ideoque si omitterentur vel si aliquo modo deformarentur, male ageret

sacerdos recedendo ab usu Ecclesiae et a verbis communiter adhiberi solitis; imo si mutatio fieret in alia verba diversae significationis et tanta fieret, ut principalis significatio ab Ecclesia intenta non haberetur, nulla esset benedictio talis, eo quia cum tota vis benedictionis in applicatione significationis consistat, consequens est, ut destructa significatione destruatur etiam benedictio, quod fieri potest vel omissione vel additione, vel mutatione, vel demum detractione (l. c. n. 34-36) „.

Ad hoc etiam faciunt sequentia S. R. C. decreta: Benedictiones tantum illae et illi soli libri adhibendi sunt qui Rituali Romano sint conformes (decr. 2689[4]). Benedictionum formulae a S. Sede non approbatae prohibentur (decr. 2725[9]).

Benedictiones pro quibus deest formula legitime approbata fieri debent producendo signum crucis super rem benedicendam sub verbis dumtaxat: *In nomine Patris* etc. illamque postea aspergendo cum aqua benedicta (decr. *in Lucionen.* 12 aug. 1854 ad 68); attamen pro omnibus rebus adhiberi potest *Benedictio ad omnia*, quae ponitur in appendice ad Rituale; qua uti nequit sacerdos pro rebus quarum benedictionis formula reservata est, nam in rem benedicendam cadit reservatio non in formulam tantum. Attamen si haberi potest sacramentale utendo formula Benedictionis ad omnia, non conficitur sacramentale per methodum a decreto in *Lucionen.* traditam, cum idem decretum non legatur in Collectione Authentica Decretorum (1).

Pluria alia dicenda forent hac de re, sed ut prae-

(1) Cfr. *Ephem. Liturg.*, an. 1915, pag. 711.

monuimus, nostri non est completum tractatum de benedictionibus tradere.

Can. 1149

Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt cathecumenis, imo nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem.

Hic attendenda est doctrina iuxta quam quilibet homo viator esse potest subiectum remotum sacramentalium, cuius spiritualem utilitatem Ecclesia intendit in institutione sacramentalium.

Canon nominat cathecumenos, quos iuxta traditionem in eorum necessitatibus spiritualibus et corporalibus Ecclesia semper habuit tamquam de gremio suo. Amplectitur Ecclesia etiam acatholicos, eisque non denegat suas preces ut lumen videant et permittit in particularibus casibus ut super iis invocetur auxilium Domini per benedictionem. Benedictio vero limitatur ad duos casus ; nempe benedici possunt ut convertantur et ut sanitatem corporis recipiant, dummodo in hoc postremo casu spes effulgeat circa eorum conversionem.

Canon nihil habet de publicis peccatoribus, qui iuxta plura Concilia et Synodales Constitutiones privantur iure benedictionis, prout Codex I. C. eos arcet ab Eucharistia, a matrimonio contrahendo, a sepultura ecclesiastica. Tenenda est antiqua doctrina, tum quia privatio benedictionis est in poenam delictorum et in salutare exemplum fidelium ; veruntamen Ordinarii locorum peculiaribus in adiunctis quid facendum sit declarabunt quia etsi effec-

tus habeatur ex opere operantis Ecclesiae ad percipiendos eosdem effectus requiritur in subiecto debita dispositio.

CAN. 1150

Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur etiamsi si in dominio privatorum sint.

Hic canon non eget commentario; ceterum Codex ipse passim loquitur de custodia rerum sacrarum, praesertim de iis quae in administratione sacramentorum requiruntur vel ad cultum divinum deputantur.

CAN. 1151

§ 1. Nemo, potestate, exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legittime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit.

§ 2. Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito; qui ad exorcismos ne procedat, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemone obsessum.

Adiuratio imperativa daemonis (exorcismus) distinguitur in *sollemnem* et in *simplicem*, prout agitur de expellendo daemone vel solum de compescenda virtute daemonis ne personis vel rebus noceat.

Canon hic agit de exorcismo sollemni qui dirigitur in daemonem cum imperativa adiuratione ut a corporibus

obsessis recedat. Formulam huius exorcismi habet Rituale Romanum (tit. X, c. I.), quod dat etiam plura praecepta servanda in usu huius esorcismi et instructiones varias quae faciunt ad rem.

Exorcizandi potestatem accipiunt clerici per ordinem exorcistatus; sed ad praecavendos abusus haec potestas tantum sacerdotibus reservatur, qui tamen sine speciali licentia peragere nequeunt exorcismum solemnem. Equidem deerat lex universalis Ecclesiae, qua prohiberetur usus exorcismi in Rituali Romano descripti sed particulares leges ita hanc materiam moderabantur ut reapse quasi unica haberetur lex in universa Ecclesia. Modo Codex J. C. ad universalem Ecclesiam extendit praescripta localia et regulas dat pro electione exorcistae quae a normis Ritualis non recedunt.

Can. 1152

Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et cathecumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos.

Codex non agit de exorcismo privato, qui fit proprio exorcizantis nomine et peragi potest ab omnibus fidelibus, cuius effectus non derivatur ab auctoritate et precibus Ecclesiae, sed ex virtute nominis Dei et Iesu Christi. Hic agitur de exorcismo publico qui fit ab Ecclesiae ministris nomine et auctoritate Ecclesiae sive in daemonem ut recedat a corporibus obsessis sive in personas vel in res ne ipsae vel earum usus hominibus noceant. Ecclesiam limites non ponit quoad personas in

quorum favorem faciendi sunt exorcismi, prout costans fuit praxis, quae a Tertuliano memoratur (Apol. XXIII).

Exorcismus simplex peragi potest ab omnibus potestatem ad id habentibus i. e. a sacerdotibus; et nisi obstaret vigens disciplina peragi posset etiam ab exorcistis. Formula exorcismi simplicis habetur in appendice ad Rituale, eaque uti potest sacerdos tum in infestatione locorum tum ob simplicem devotionem.

CAN. 1158

Ministri exorcismorum qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorumdem sacrorum ritum legitimi ministri sunt.

Cum baptismus sollemnis conferri possit, urgente necessitate, etiam a diacono, huic non adimitur facultas peragendi exorcismos qui in ritu baptizandi occurrunt, dummodo excipiatur exorcismus in sal, qui potius habetur ut benedictio (decr. 3864). In consecrationibus et benedictionibus formula exorcismi si habeatur adhibenda est a quolibet qui ritum peragit, quamvis eius potestas sit delegata, et nullus Superior ritum legitime delegans, potest limitationem ponere circa has exorcismorum formulas.

FINIS

Commentarii in P. I. Lib. III C. J. C.

INDEX

TITULUS I. – DE BAPTISMO	Pag.	16
Caput I - De ministro baptismi	„	17
Caput III - De ritibus et caeremoniis baptismi	„	20
TITULUS II. – DE CONFIRMATIONE	„	46
Caput I. - De ministro confirmationis	„	50
Caput II. - De subiecto confrmationis	„	55
Caput III. - De tempore et loco confirmationis conferendae	„	58
Caput IV - De patrinis	„	60
TITULUS III. - DE SANTISSIMA EUCARISTIA	„	61
Caput I. - De sacrosancto missae sacrificium celebratione	„	61
Caput II. - De sanctissimo eucharistiae sacramento	„	118
TITULUS IV – DE POENITENTIA	„	154
Caput I. - De ministro sacramenti poenitentiae	„	154
Caput IV. - De loco ad confessiones excipiendas	„	156
TITULUS V. – DE ESTREMA UNCTIONE	„	164
Caput I. De ministro extremae unctionis	„	164
Caput II. – De subiecto extremae unctionis	„	167
Caput III. – De ritibus et caeremoniis extremae unctionis	„	179
TITULUS VI. – DE ORDINE	„	183
Caput IV. - De ritibus et caeremoniis sacrae ordinationis	„	183
Caput V. - De tempore et loco sacrae ordinationis	„	189
TITULUS VII. - DE MATRIMONIO	„	196
Caput VI. - De forma celebrationis matrimonii	„	196
Caput VIII. - De tempore et loco celebrationis matrimonii	„	207
TITULUS VIII. – DE SACRAMENTALIBUS	„	212

15,995

264.011
B16

Barin, Aloisius

AUTHOR

Commentarium Ad Canones Codicis

TITLE Juris Canonici Jus Liturgicum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY